


2 6 529







XXXXIX

LAVR. ad PVT

Homil. &

1a

SANCTI LAVRENTII AD PVTEVM PRESBYTERI, ET MARTYRIS, NOVARIENSIVM APOSTOLI,

Agnomento Melliflui Homilia

De Chananæa


Addenda reliquis de Pœnitentia, & de Eleemosyna pœnes Nouariam Sacr. Venerab. Ill.^mi, ac Reu.^mi D.D. Caroli à Basilicapetri fel. record. Episcopi Nouariensis.

Ad Perill. & R.^mum D.D. 202

IO. FRANCISCVM PISANVM

S.T. ac I.V.D. de Coll. Vigleuani, Prothonot. Apostolicum, Canonicum Ordin. Theologum Eccl. Cathedralis Nouariæ, S. Officij Consultorem,

Et olim trium Episcoporum Vigleuanensium Vicarium Generalem, Nunciaturę Apostol. apud Heluetios, & Rhetos Auditorem Generalem, ac Internuncium.





MEDIOLANI Ex Ædibus Ghisulphianis. 1692.
Superiorum per missu.

IMPRIMATVR

Fr. Michael Seraphinus Angelerius Sac. Th. Magist. & Commiss. S. Officij Mediolani.

Bartholomeus Crassus pro Eminentiss. D. D. Card. Vicecomite Archiep.

Franciscus Arbona pro Excellentiss. Senatu.

IO. FRANCISCO PISANO
Lazarus Augustinus Cotta I. C.
S. P. D.

I quid ornamenti (clarissime, ac religiosissime Vir) fas est superaddere, Ecclesiæ Nouariensi quamquam vndique refulgenti, ac ditioribus corollis à Venerab., & eruditissimo Carolo Episcopo nostro redimitę, ad te monile aureum (seu mauis adamantum aceruum, sed affabrè perpolitum, & prope diuino artificio contextum, & elaboratum) mitto inter illius venustiora decora recondendum. Opificem suspicias Sanctum nostrum Mellifluum Laurentium ad Puteum, quem tu summa religione præ cęteris clientulis veneraris, ęmuloq; pietatis ęstu percitus vna cum Collegis tuis Casato, qui cultum erga tantum patronum instaurauit, Nazario, qui ardentiùs, ac mirum in modum fouet, & imo cum Balioto Apostoli nostri religiosissimo declamatore, & præcone, totq; alijs cum Ciuibus Nouariensibus decorare, omniq; conatu, & studio laudari, euehi, extolli incessantèr contendis. Monile hoc nuper reefossum, & hactenus paucis notum, publicè spectandum proponas, vt in rediuiuo Laurentij nostri monimento Ecclesiæ Nouariensis gaudia reuiuiscant. Vale. Ex Oppido Ameno in Riparia S. Iulij Diec. Nouarię Cal. Septembr. MDCLXLII.

AD LECTOREM

Nonnulla

De S. Laurentio ad Puteum Presbytero, & Martyre, ac Nouariensium Apostolo

Lazarus Augustinus Cotta I. C. ex suo Museo Nouariensi MS.



TAndem aliquando, fauente Deo, in lucem denuo prodijt tractatus ille de Chananæa per S. Laurentium Presb., & Martyrem Nouariensem conscriptus, quem frustra conquisiuit, ac temporum calamitate deletum putauit, ingemuitq; Venerab. *Carolus* (1) Episcopus noster ea ad id suasus historia, qua inter sacra à priscis vsq; temporibus Diuo nostro recitari solita tradebatur, hoc opusculum perijsse. Gratiæ à Nouariensibus, imo & toto Christiano orbe agendæ sunt R. P. *Ioanni Mabylonio* (2) Monacho Benedictino, Gallo, viro tum religiosissimo, tum solertissimo huiusmodi antiquitatum effossori, qui eum tractatum superioribus annis è Codice MS. Corbeiensi Germano eductum in publicam vtilitatem restituit secundò; satis enim indicant *Franciscus Iuretus*, (3) *Iulius Cæsar Bulengerus* (4), ac *Franciscus Amaya* (5) qui iam dudum vixere, & vna cum alijs Sanctum nostrum faciunt Eiscopum Mediolanensem, typis ante ann. 1598. fuisse editum.

Laurentius igitur, quem ex Hyspania profectum contendunt *Ioannes Tamayus Salazar* (6) *Laurentius de la Barra* (7) & *Aulus Halus* (8) Floruit Nouariȩ in Insubribus circa dimidium sæculi Christiani Quarti. Vtpote

1. *A Basilica Petri Nouar. pag. 235.*
Officium proprium S. Laur. Noct. 2. lect. 4 pœnes eundem in Script p 409.
2. *To. II. Analector. (Paris. 1676) ex quo hæc Homilia desumitur.*
3. *Miscellan ad Epist. Symmachi 65. lib. 5. pag 164.*
4. *De Imperat. Rom. lib. 9 c. 3. pag. 693. lit. E.*
5. *Leg. 2. Cod. De exactorib. tribut. n. 7. lib. 10.*
6. *Tom. 2. Martyrolog. in fin.*
7. *Hyst. Christ. pag. 338.*
8. *Penes Salazar.*

pote Doctor eximius, & callens linguam Hebraicam, Chaldaicam, Græcam, & Latinam, Sanctum Gaudentium, qui primus Nouariensis Antistes factus est, religiosis præceptis, sacra doctrina, & sacerdotali virtute instituit. Christianæ disciplinæ propagandæ curam in ea vrbe sustinuit, Orthodoxos firmauit, erudijtq; resides Idolatras ad Christianã Religionem conuertere studuit, editis etiam tractatibus infrascriptis. Die xxx. Aprilis an. 363. (iuxta veriorem supputationem, quam diligentissimus *Baliotus* (9) reiecto *Ricciolo*, (10) exarauit) gladio percussus martyrio (11) vna cũ pueris, quos per se ipsũ baptismate initiatos in vrbẽ reducebat, coronatur extra mœnia in campo Candido: corpora proijciuntur in puteum in campo Hordeali. De illius vita scripserunt etiam *Mombritius*, *Ferrarius*, *Bollandus Gallesinus*, *Plotus*, *Petrus de Natalibus*, *Baronius*, *Seſſallus* præter supra relatos, ac alios, quos congessit *Petrus Paulus Casatus* (12) Ecclesiæ Cathedralis Nouariæ Canonicus.

De ipsius scriptis alia testimonia.

Anonymus (13) Nouariensis, quem cæteris S. Laurentij encomiastis antiquiorem puto, ait: *Beatus vero Laurentius Doctor Egregius non tantùm verbis prædicando, verum etiam scriptis, & quibusdam expositionibus Euangeliorum luculentèr editis suorum corda auditorum irradiabat. Quod testatur ille ab eo de Chananæa Sermo factus, vbi satis datur intelligi, quantum ipse facundiæ, eloquentiæ, ac literaturæ solertia, & disciplina pernitebat.*

Sigebertus (14) Monachus Gẽblacensis, qui floruit circa an. 1100. hæc habet: *Laurentius Mellifluus scripsit librum de duobus temporibus, idest vno ab Adam vsq; ad Christum; altero à Christo vsq; ad finem sæculi. Declamauit etiam Homilias ore quasi mellito, vnde agnominatur Mellifluus.*

Lucas Contilis (15) cum anno 1558. 30. Nouembris scriberet ad Guilielmum Præfectum Bibliothecæ Pontificiæ, hæc per nos latina facta protulit:

9. *In Vita S. Laurentij, & in S. Gaudentij hist.*
10. *Chronolog. Ref. to. 3. pag. 253. ad an. 365.*
11. Martyrium Sancti nostri Apostoli carmine celebratur à *Gregorio Bulzio* in Larario Poet. to. 1. pag. 269.
12. *Le proue dell'Istoria dipinta ne quadri di S. Lorenzo al Pozzo*, seu probationes Historiæ Iconologicæ S. Laurentij ad Puteum.
13. *Anonym. Nouarien in Paſſ. S. Laur. ex Arch. Canonic. Eccl. Cath. Nou.*
14. *De Viris Illustrib. cap. 120.*
15. *Epist. vol. 1. lib. 2. pag. mihi 178.*
A Basilica Petri in Præfat ad Homil. S. Laurentij, vbi firmatur, nunquam ipsum Laurentium ad Episcopatum fuisse euectum.

tulit: *Anguisciola exhibuit Academiæ Venetæ tractatum de Pœnitentia, & de Eleemosyna Sancti Laurentij Presbyteri Nouariensis vrgens, vt castigatior reimprimatur, nuncupeturq; &c.* Hinc notatu dignum puto, Laurentium non Episcopum, sed Presbyterum dici à *Contile* viro summæ eruditionis: eas Laurentij Homilias iam dudum ante an. 1558. fuisse typis impressas, sed vbinam, inuenire non potui: & demum à primo editore scitè fuisse illis nomen Episcopi deletum.

Antonius Posseuinus (16 scripsit: *Atqui, & Homiliæ duæ extant eiusdem, qui fuit etiam Nouariensis Episcopus, de Pœnitentia, & Eleemosyna: Romanũ vero Martyrologiũ pridie Kal. Maij meminit Laurentij Presbyteri Nouariensis &c. Num vero idem sit cum Laurentio Mellifluo, incertum.*

Aubertus (17) *Miræus: Laurentius Nouariensis Episcopus scripsit Homilias duas &c. vnam de Pœnitentia, & alteram de Eleemosyna, quæ extant to. 6.* Biblioth. PP. *editionis Coloniensis. Sunt qui conijcinnt, ipsum ex Nouariensi Episcopo sub annum Christi quingentesimum septimum creatum esse Mediolani Archiepiscopum, ipsumq; laudari ab Ennodio Ticinensi in Dictione missa Honorato Nouariensi Episcopo, cum Basilica Apostolorum dedicaretur.*

Ioannes Mabylon (18) nunquam satis laudatus hasce subnectit adnotationes. *Laurentius Episcopus, cuius libellum, seu homiliam mox retuli ex MS. Codice Germanensi, is est, quem laudat Sigebertus Gemblacensis Monachus. Laurentij liber de duobus temporibus typis vulgatus est in to 6. Bibl. PP. præfixo hoc titulo:* Sancti Laurentij Episcopi Nouarum Homilia de Pœnitentia; *quæ homilia in exemplari nostro subijcitur superiori libro, seu homiliæ cum hac inscriptione:* Incipit liber secundus S Laurentij de duobus temporibus. Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta &c. *Nemo igitur ambigere debet, eum esse Laurentium, qui Sigeberto cognominatur Mellifluus, quiq; vtriusq; libri, seu homiliæ est auctor. At quis iste Laurentius Episcopus?* Margarinus Binæus *suspicatur, esse Laurentium priorem, qui ex Episcopo Nouariensi factus sit Mediolanensis Episcopus XXVI. ad annum Christi 507. cuius encomia videbatur celebrare Ennodius Ticinensis Episcopus in Dictione missa Honorato Nouariensi in Dedicatione Basilicæ Apostolorum. Binæo facilè assentio quibusdam adductus coniecturis, quæ tum ex libris, seu sermone* (de Chananæa) *hic edito, tum ex Ennodij Dictione prima in Natali Laurentij Episcopi Mediolanensis desumuntur. Laurentius quippe in Sermone de Chananæa, quem de nocte in foro habuit, mentionem facit quorundam aduersariorum suorum, quorum improbitate non solùm ipse vexatus sit, sed* etiam

16. *Sac. Appar. to. 2. pag. 332.*
17 *In Auctar. de Scriptorib. Ecclesiastic. cap.* 119.
18 *To. 2. Analector. pag.* 8.

etiam alij part'um ipsius fautores. Atqui Ennodius in Dictione prima Laurentium laudat ob patientiam malorum, quæ ipsi ex aduersariorum factione semel, & iterum contigerunt: Primum quidem cum ab hostibus expugnata Ciuitate inter suas, & populi iniurias stetit infractus, tum in exilium missus, ac demum vrbi suæ redditus est: deinde vero cum Romam in Synodum accitus an. 502. pro absolutione Symmachi Papæ, aduersantium procellas sustinuit. Expugnatio illa, & direptio vrbis Mediolanensis, simulq; Laurentij exilium contigere per Odoacrem, vti Sirmondus *opinatur, quando Tufa duce aduersus Theodoricum Ostrogothorum Regem rebellauit. Theodorico victoria potito, Laurentius Mediolanum rediit, vrbemq; ex pristinis ærumnis recreauit: Tum vero superiorem homiliã de Muliere Chananæa habuisse mihi videtur: cuius reditum ita celebrat Ennodius in Dictione prima.* Cum ex alto &c. *Melliflui etiam nomen quadamtenus inferiùs indicat Ennodius, vbi ait; Laurentium in Synodo Romana minantium impetus blandimentorum melle domuisse. Porro in homilijs suis Laurentius in id potissimùm incumbit, vt peccatoribus fiduciam obtinendæ à Deo remissionis impetrent; sicq; de Pœnitentia loquitur,* ingeneret *quasi eam solis humani arbitrij viribus adscribere videatur.*

Casimirus Oudin (19) *sub sæculo* v. ait: *Laurentius Nouariensis Episcopus cognomento Mellifluus, de quo* Sigebertus. *Sunt qui conijciunt, ipsum ex Nouariensi Episcopo sub annum Christi* 507. *creatum esse Mediolani Archiepiscopum, ipsumq; laudari ab Ennodio Ticinensi Episcopo, cum Basilica Apostolorum dedicaretur. Hoc autem certum non est, solisque, & infirmis nititur coniecturis. Floruit circa annum* 510. *& vltra forsitan ad an.* 520. *scripsitq; librum de duobus temporibus, seu de Pœnitentia, & Eleemosyna Homilias duas &c Item Homiliã de Muliere Chananæa, quam è MS. Corbeiensi eduxit Io: Mabylon.*

Ludouicus Bail. (20) inquit: *Circa annum* 507 *florebat Laurentius Episcopus Nouariensis, cuius extant duæ Homiliæ de Pœnit. & Eleemos. vtraque venusti eloquij, & turgida figuris, & floribus Rethoricis.*

Ioseph Maria de Nouaria (qui & *Philippus Baliotus* (21) Nouariensis vir summæ eruditionis, ac rerum Nouariensium accuratior inuestigator in hunc sensum materno idiomate: *Sacrarum, ac humaniorum literarum peritissimus habebatur Laurentius: hoc nobis satis testantur eæ laudes, quibus ipsius opera in priscis monimentis celebrari, ac inter sacra olim à* No-

19. *Supplement. de Scriptorib Eccl. pag.* 106.
20. *Bibl. Concion. pag.* 239.
21. *Ioseph Maria Baliotus* ex Ordine Capucinorum, (qui mirus Orator, & æquè propriæ laudis mirus contemptor, sub nomine *Philippi* genitoris sui proprias euulgat lucubrationes) *Vita S. Gaud. lib.* 1. *c.* 9. *& hist. S. Laurentij.*

Nouarienſibus recitari ſolita, nouimus. Cætera inter peculiari illud excipitur plauſu, quod de Euangelica Chananæa euulgauit, quodue ceu vberrimus cœleſtis virtutis, ac doctrinæ fons ijs ſæculis in pretio erat. Verum temporis iniuria tantum theſaurum vnà cum tot alijs exhauſit &c. Duæ adhuc ſuperſunt Homiliæ, de Pœnitentia, & de Eleemoſyna, quas Binæus &c. Improbat & ipſe Binæum, & quotquot Laurentium Antiſtitem & Nouarienſem, & Mediolanenſem faciunt, idemq; alibi repetit nos commonefaciens, Homiliam de pœnitentia emiſſam fuiſſe à Laurentio ad retundendam hæreſim tunc graſſantem, qua Luciferiani aſſerebant, Chriſtifideles in idolatriam reciduos ad ſinum Eccleſiæ minimè recipiendos quamuis pœnitentes: alteram verò de Eleemoſyna, ad eos ſubleuandos, quos impia Conſtantij edicta in Catholicam Religionem recrudeſcentia depauperabant omninò.

Iterum idem *Baliotus*, qui viſa hac mea collectione inſequentem intexuit Microparæneſim.

MIrum, quantis in Apoſtoli noſtri Laurentij laudibus ſe effundant ſcriptores tam vetuſti, quam recentiores, quotquot in eruditiſſimas eius lucubrationes inciderint: eas ſane tum roſcidi mellis profluuio irriguas, tum ſelectioribus Rhetorum floſculis excultas, tum etiam omni verborum elegantia vernantes ſonorè deprædicant; & propterea non niſi cum maxima animi voluptate dulciloquium illud legi poſſe fatentur. Plerique tamen ſunt, qui aut circa eius perſonam fœdè hallucinantur, aut à ſæculo, in quo is floruit, longè nimis aberrant, quam ferri poſſit; dum vel Nouarienſem Epiſcopum, vel, quod vtique magis diſſonum, inde ad Mediolanenſem Archiepiſcopatum euectum autumant leuiſſima, ac planè futili coniecturatione abducti, quin prorſus & nulla. Certè *Margarinus Bignæus* dum inter præclariora Bibliothecæ ſuæ Veterum Patrum monimenta celeberrimas, & iuremeritò laudatiſſimas eiuſdem homilias interſerit, Epiſcopum Nouariæ liberè nimis inclamat. Hunc ſequutus, vt cœcus cœco fidens, is quicumque fuerit, qui noſtris hiſce diebus Bibliothecam eandem longè ditiorem factam mirificè propagauit in ſæcula, velut in tomos diſſectam, ipſe quoque Nouariæ Epiſcopum (typographorum incuria, Nouariū legitur) fidentiùs enuntiat. Sed perperam, & oſcitantèr prolatum, cum in comperto ſit, & extra omnem dubitationem vacet, nullum ibi penitus Epiſcopum fuiſſe, cum hæc Laurentius excribebat: immo ne quidem vllatenus eſſe potuiſſet, vbi Idolorum, & peculiaritèr pro Nouarienſibus profanus Mauſoleorum cultus vnicè vigebat, & pœne inuincibilitèr. Prima Euangelij ſemina illic per D. Apoſtolum Barnabam ſata, terrifica, & iugi Ethnicorū præporentium violentia, velut ſub luxuriantium ſpina-

rum

rum exuberantia prope suffocata exaruere. Nec ab ijs Barnabæ primordijs vllum exinde Christiani nominis vestigium vix reperias vsque ad Laurentium: nisi fortasse in S. Zephyrini Papæ, & Martyris, Ciuis, & Patritij Nouariensis augusta memoria. Is oppido, quidpiam religionis superfuisse, euincit, sed modicum planè, & velut furtim ferocienti perfidiæ subreptum; quippe Zephyrinus cum patre Abundio (ex Abundiorum scilicet clarissima, & Patritia stirpe Nouariensi nostro hoc sæculo tantùm excisa) vt Christi fidem sartam, tectam seruaret, vltro è patria exulare, & Romam tanquam ad veræ Religionis caput, & magistram se subducere coactus sit. Ibi iure ciuilitatis vtens, qua passim gaudebant Patritij Nouarienses tanquam Romani Municipes (vt ex *Corn. Tacito*, alijsque huius notæ scriptoribus liquidò constat) idcirco Romanus vulgo vocitatus est. Nec omninò dissentiam appellationi; eo namque prorsus modo & Apostolus Paulus (22) se Ciuem Romanum audentiùs deprædicat, dum apud Tribunum Ierosolymis, & Philippis iterum altè, & sonorè conquestus est de illata contumelia, & iniuriosa, nec vllatenus ferenda Ciui Romano originario; qui tamen se Tarsis natum, & Ierosolymis educatū liberè fassus est gloriātèr, ex patriæ priuilegio gaudebat honorari vt Ciuis Romanus ex origine tanquam non ignotæ vrbis municeps, vt idem de se ipso proloquitur. Hoc & plurimi fecerant, quod & in Zephyrino videre est; Romanus itaque vocitatur, cum alioquin Ciuis, & Patritius Nouariæ nobilissima ex prosapia ortus sit, postea Clero Romano ascitus.

Ceterū Laurētius noster eximij nominis Doctor Nouariā appulsus inter continuas, easque acerrimas procellas, & tēpestates diu iactatus, quas idem ipse commemorat, demum inimicorum Euangelij gladijs, quos fortitèr eluctans euincere nitebatur, occubuit; dehinc in puteum abiectus: vnde sibi nomen inditum Laurentij ad puteum, neutiquam infula Pontificali, sed benè martyrum laurea decoratus. Veriùs ab omnibus vno ore, & pro summa laude primariorum vrbis huiusce Episcoporum emeritus Magister, & institutor dictus est, scilicet sanctissimi Protopastoris nostri Gaudentij, eiusque successoris Agabij, quos velut præcipuos, & primitiuos lapides in fundamentis iecerat huius structuræ. Non itaque Episcopus, sed Episcoporum Pater, & antelucanus præco in hac Ecclesia dicendus venit pro sua dignitate.

In peius tamen impingunt, qui eundem ad Mediolanensem Archiepiscopatum transisse comminiscuntur eò abducti, quod D. Ennodium in laudationes effusum audiant *electi seorsum præsentis Patris nostri Laurentij*. Verba ipsissima sunt encomiastæ in sua oratione, quæ inter eius

22. Act. 22.

opera hac epigraphe inscribitur: *Dictio missa Honorato Episcopo Nouariensi in Dedicatione Basilicæ Apostolorum, vbi templum fuit Idolorum*. Ergone is ita laudatus Laurentius Nouariæ Episcopus? Immotum ibi sedebat Honoratus, ad quem Dictionem suam direxerat Ennodius. At dicent certè, quod fortasse huic sedem cesserat Laurentius, vt exinde ad Mediolanensem transmearet: interim electus, quia nondum consecratus, ideo *seorsum* aderat præsens, tantùm vt in hoc solemni Patrum consessu gratulabundus successori suo gratificaretur, qui eum inuitauerat. Verum Honoratus in Dyptico Episcoporum Nouariensium adnumeratur septimus, Laurentius ergo planè sextus dicendus veniret: ast quomodo Magister primorum huiusce Ecclesiæ coryphæorum Gaudentij, & Agabij, quod citra omnem dubitationem inconcussè enunciatur ab omnibus? Laudatur itaque Laurentius Archiepiscopus electus, & quidem Nouariæ, vbi aderat in eo Pontificio congressu, præsens ad solemnem inaugurationem templi euocatus, sed non propterea arguendum, ergo Episcopus Nouariensis, prout infert *Ioannes Mabylon*, qui ex Ennodio nimis inconsultè confirmare aggreditur, quod aliqualitèr suspicatus fuerat *Bignæus*, vt cum Apostolo nostro confunderet paranomasia quadam, seu nominum analogia hallucinatus: nec interim se ad duorum fermè sæculorum saltum enormitèr dilapsum sentit.

Exorta æquiuocatio creditur eo, quod Ennodius partes Honorati agens Laurentium vt Patrem ex reuerentia compellat: ast *Iacobus Sirmondus* in sua Parisiensi editione operum D. Ennodij elaborata anno 1611. expendens ea verba, consultò adnotauit *Patris nostri Episcopi Mediolanensis, quem proinde vt Metropolitanum suum Patris loco habebant Nouarienses*. Sed re vera in hac re non insudandum fuerat nimium, cum nec tam profundi mysterij sensus lateat in hoc vocabulo, vt opus fuerit tanto conatu, & ausu, quantum præseferunt vel *Mabylonis*, vel *Sirmondi* interpretatio. Sedulò laborarunt, sed irrito conatu, vt nimirum Patris nomen dentibus raptim extorquerent ad commentum suum, cum tamen illud non adeo suapte natura tantam præseferat dignitatem, & inditam auctoritatis supereminentiam, quanta supponitur, vt proinde arguendum veniat, quod si Patrem nominat, ergo Episcopum suum. Ecquis hoc dicat? Quin potiùs honoris, & vrbanitatis gratia merè prolatam fuisse hoc loco huiusmodi prænominationem, aptiùs arbitremur, necesse est.

Nec poterat Honoratus laudare præsentem nostrum Sanctissimum Apostolum, dum eius Dictionis auctor Ennodius eam contexuisse supponitur anno 490. vt in recta annorum supputatione deducitur ex eo,
quod

quod de se ipsemet profert in Eucharistico de vita sua. Decessit verò anno 521: Ast quanto tempore illum præcesserat Beatissimus Doctor? Martyrio laureatur anno 363. quem secundum fuisse, & vltimum tum imperij, tum etiam vitæ Iuliani Imp. cum cæteroqui Mediolanensis Laurentius nullatenus martyr dicatur, summarum virtutum coronide illustris, & infractæ patientiæ laudatissimus in pace quieuit, miris & ipse diuexatus procellis, & tempestatibus, vt ex *Ennodio* (23) refert prædictus *Mabylon*, *Cum hostilis irruptio* (vt verbis vtar eiusdem Ennodij) *more pecorum Christianum populum per diuersa distraheret: tandem exilio, carcere, & plurimis exagitatus vexationibus postquam infracto animo, & ineluctabili constantia inediam, frigus, & iniurias* (ait encomiastes) *& illa, quæ sibi inimici animus prouidit augmenta morborum mira fortitudinis contentione deuorasset inter suorum amplexus placidè obdormiuit in Domino*, anno vt traditur 527. seu manis 28. vel magis 29. vt alijs placet. In hac particula non sibi consistunt qui de eius morte scripserunt; non tamen in magno diffident, ita ut firmum, & constans omninò permaneat, doctissimum Martyrem, & fidei Magistrum ex ducentorum fere annorum curriculo elapso, *declamasse homilias ore quasi mellito*, vt *Sigeberti* (24) verbis vtar, *vnde agnominatus mellifluus*, & alius omninò sit ab eo, quem inter Præsules suos vigesimum quintum enumerant Mediolanenses.

Pergit exinde Mabylon comprobare thesim suam, & ex hoc quod à Sigeberto Laurentium mellifluum appellari audiat, arguit protinus, sed & Ennodius quadantenus innuit hoc ipsum de Mediolanensi suo, & verba recitat ex Dictione decerpta, subditque, *Laurentium in Synodo Romana minitantium impetus blandimentorum melle domuisse*. Quod sanè quanti ponderis sit, & quantum vrgeat, nemo non videt. Paralysim potius quam paralellum protulisse visus est, cum mellifluam tam in dicendo quam in scribendo exuberantiam, quæ Laurentij admirationem fecerat, modica blandimenta verborum in Romana Synodo exerta ad frementes aduersariorum impetus demulcendos, frigidè admodum perstringere ausus sit. Lubentius *Casimirũ Oudin* (25) obaudirem de hac re iudicium proferentem, nisi & ipse vt Polonus natione, idcircò rerum Nouariensium non apprimè gnarus, nimium iusto fidens ijs, qui Episcopum eum statuunt, circa Doctoris nostri æuum & is propemodum aberrasset, dum circa annum 510. traducit, & vltra forsitan (addit ipse) ad annum 520. Hæret tamen accuratior, dum Ennodianas laudes Laurentij expendit, quibus ad vsum parœmiæ suæ abutitur Mabylon

23. D. Ennod. in Dict. in Natali Laurentij Mediol. Episcopi.
24. Sigebert. loc. cit.
25. Oudin. vt supr.

bylon, eo obtentu, vt cum Apostolo nostro vnum eundem faciat. Nec fidem præstat prorsus argumento, sed vt leuissimum & prorsus inane explodit subdens illicò: *Hoc autem certum non est, solisque, & infirmis coniecturis nititur.*

Id autem penitus non ferendum, quod idem licet cæteroqui Sanctissimi Doctoris nostri emeritus laudator inter tot encomia præstantissima, quibus ipsum cum sua homilia de pœnitentia cumularat, subdit tandem: *sicque de pœnitentia loquitur, quasi eam solis humani arbitrij viribus adscribere videatur*: per quod eum quodammodo Pelagianismi insimulare non veretur audentiori censura. Ast pace tanti viri (dixerim eruditione, ac pari pietate quaqua versus spectabilis) parcendum omnino fuerat istiusmodi parergo: *potissimum incumbit, vt peccatoribus fiduciam obtinendæ à Deo remissionis ingereret.* De pœnitentia certè argutissima periphrasi, & mellito ore proloquitur S. Doctor, prout est actus virtutis, quæ proculdubio humanæ prorsus voluntatis est motus, vnde meritum exurgit, & inde fiducia concipitur obtinendæ à Deo gratiæ iustificantis. Vtrum vero is arbitrij nostri motus ita pendeat à concursu diuino, vt nihil penitus adscribendum remaneat humanæ voluntati cooperanti, non est huius loci disceptatio; nec eò vltra se profert Laurentius, vt scholasticum agat in hac oratione, vbi ecclesiastem merè se præbet, non disputatorem, & velis, ac remis in hac elegantissima dissertatione contendit (quod ipse *Mabylon* rectè adnotauit) vt fiduciam obtinendæ a Deo remissionis ingereret. Ergo vt principium salutis in homine statuat? Absit tantum nefas deducere ex eruditissimi declamatoris conatibus. Ea erat impia Pelagij blasphemia, qui mero naturalium virium ausu gratiam simul & gloriam adquiri posse, temerè oblatrabat. Contra quam post Laurentium nostrum D. Augustinus scitè admodum, & multoties, acritèrq; inuehit præsertim in libro de gratia, & libero arbitrio; & cum eo iugiter omnes scholastici aduersus etherodoxos concitati. Voluntatem igitur humanam mouere conatur, vt ad Deum conuertatur, iuxta sensum Prophetarum, immo & Domini Iesu, qui in hoc plurimum insudauerat, sicut & ad hoc venerat inter homines factus homo; & dum fiduciam ingerit obtinendæ à Deo iustificationis, non arguendum, quod solis humani arbitrij viribus pœnitentiæ effectum protrudat: nisi illo prorsus sensu, quo Dominus dixerat per Ieremiam (26) *erit anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam.*

Ratio itaque excribendi homilias hasce *venusti eloquij, & flosculis Rethoricis*, vt eas concelebrat **Ludouicus Bail** (27) (licet is quoque cũ cæteris tam

26. Ierem. 39.
27. Bail. loc. cit.

tam in sæculo Laurentij nostri statuendo, quam in Episcopatu, qui falsò supponitur, vulgari hallucinatione abductus oberret) non abs re subtexenda venit hoc loco. Quæ de pœnitentia inscribitur, apologetica censetur pro D. Eusebio saltem ex reflexu, quem videlicet incusabant æmuli, & acerbè nimis vrgebant, quod cum legatione fungeretur pro Liberio Summo Pontifice vna cum D. Gaudentio eius indiuiduo ministro perplurimos Cappadociæ, & aliarum gentium Episcopos cum suis Diœcesibus quà schismate diffluentes, & quà Arianæ hæreseos labe infectos, Sanctæ Matri Ecclesiæ reconciliauerit, & lubens, & blandiens exceperat sinu fouendos. Ea propter amaro eum despiciebant oculo, vel potiùs animo iniquo aduersus illum torquebãtur mastygi zelatores, & Luciferiani præsertim nebulones ex hoc capite potissimùm Catholicis exosi, & detestabiles, quin infestè nimis obtrectantes huiusmodi clementiam velut intempestiuam, & indecoram ad excessum mordacibus censuris carpebant. Quin & eò processerat zelus vltro indiscretus, seu magis dicenda malignantium inuidia, & rabies, vt & Liberio cætero qui sanctissimo succensentes prope deficerent ab ipso capite: Eò vsque percellit dementiæ, zeli intemperantia, & liuor. Impia hæc, & frenens nouatorum pertinacia bilem mouit pijs Scriptoribus, vnde & Laurentius noster eruditissimus æquè, ac sanctissimus homiliam hanc in pœnitentiæ commendationem exarauit politiori stylo (quod & suum prorsus erat) qua peccatorum animos demulcendos blandè erigeret in spem salutis: & hoc potissimum obtentu, vt oblatrantium audaciam compesceret, & vna simul amicum Eusebium à calumnia exolueret. Aliam vero de eleemosyna pari concinnitate digestam, & tum peculiari verborum elegantia, tum sensuum grauitate, & venustissimo eloquio turgentem contexuit, vt nempe in subsidium vexatæ plebis Christianæ pecunias congereret. Hæc in odium fidei depauperata, vel mancipata carceribus, vel postliminijs abacta, vel etiam in domibus perstricta, inopia, squalore, & angustijs depressa, vel diuersimodè exagitata vitam miserrimè sustentabat. Quod idem & Apostolum Paulum fecisse, perspicuum constat ex eiusdem Epistolis. Sicut & eodem caritatis officio perfunctum certo certius fuisse constat erga D. Eusebium Scythopoli apud Palestinos exulantem, cui validas, & peropportunas suppetias transmisisse per Syrum Diaconum, & Victorinum Exorcistam illuc consultò directos patet ex eiusdem Eusebij epistola Nouariensibus, & alijs rescripta, quam ex *Lipomano* recitat *Baronius*. At certè Eusebius iste simul cum S. Dionysio D. Ambrosij proximo decessore exulauerat pro D. Athanasij causa, quam toto nisu, & ausu propugnabant, dum ab Arianis rabidè supra modum, & vsque ad mortem infestis diuexaretur.

Vbi

Vbi nunc igitur Mediolanensis Laurentius, quem cum Apostolo nostro confundas homonymia deceptus, à quo si ad Ambrosium vsque retrogrediaris, duodecim intermedios inuenies Episcopos? Hoc optimè aduertit *Sirmundus* ad Ennodianum epigramma 77. quod prostat de vita, & actibus Sancti Ambrosij Episcopi, vbi aptè ad rem nostram adnotauit illicò: *Quæ sequuntur duodecim epigrammata, laudes continent duodecim Antistitum Mediolanensium, quo ordine Sedem Episcopalem tenuerunt ab Ambrosio ad Laurentium.*

Nec vllus Mediolanensium rerũ compilator (quod sciam) inter Laurentij sui egregia facinora, & præclarissima elogia, quæ ipsi iure optimo coaceruatim congerunt, hanc Doctoris, vel scriptoris laudem ei quoquo modo appingit, itaut auctorem Homiliarum ne quidem suspicari vllatenus liceat, sicubi operis alicuius ex scriptor diceretur. Certissimè è contra, & extra omnem dubitationem vnus omnium sensus, & vox est, Nouariensium Apostolum homilias extruxisse tum de pœnitentia, tum de eleemosyna, tum etiam de Chananæa, quæ mirificè ab omnibus celebrantur. Quin & alia plurima conscripsisse certum est, vt plus doleamus, temporum edacitate suffurata fuisse. Quæ idcirco memorari non piguit, ne quispiam hæreat ampliùs, an is Episcopus fuerit, aut ad Archiepiscopales infulas Mediolani aduectus. Vtrunque identidem non vero consonat, quod cum præstare contenderint aliqui, adeo enormitèr deuiarunt, vt per duorum ferme sæculorum intercapedinem aberrantes, & in duodecim Archiepiscoporum cuneum impingentes cœca æquiuocatione veritatem omnem obfuscarint. Adde, quod de Laurentio suo omnes vniformitèr consentiant, fuisse egregium Patriæ decus, & familiæ Littæ inter primates Mediolanenses Patritios nobilissimæ singulare ornamentum: de Apostoli vero nostri patrijs laribus nil certum prostat, ne dum de progenie; nisi fortasse aliqualitèr dissentire nollemus Ioanni Tamayo, & alijs quibusdam, qui Hispanum fuisse suspicantur, & patria Cordubensem, & nonnullis coniecturis adiectis sibi, suisque adplaudunt, non tamen ineluctabilitèr. Hoc vnum in ipsius fastis pro constanti liquet, ex occiduis regionibus, cœlesti planè instinctu, & diuino spiritu afflante, Nouariam aduentasse adeo tamen vt nullus ambigendi locus restet, quin doctissimus, & Mellifluus Doctoris Nouariensium Apostolus sit, an verò idem censendus cum Laurentio Litta Mediolanensium Archipręsule, absit penitus, vt credatur ab homine.

Nunc propriùs ad Homiliam accedamus, quæ de Chananæa inscribitur. Huius eximia præconia, quæ ab antiquis percepimus, & desiderium fecerant, & dolorem simul ingesserant permaximum, cum nullatenùs

latenus hucusque eam videre datum fuerit. Plurimas nostri Sancti Magistri lucubrationes temporum voracitate absorptas iam diximus; huiusce tamen opusculi longè maior incesserat cupido; itaut quod eius tot elogia nobis essent non tam irritamenta appetitus, quam alimenta dolorum. Ego quoque in scriptulis, quæ pro modulo meo tum in historia Sanctissimi Protopastoris nostri Gaudentij, tum in eiusdem Diui Martyris commentariolo deprompseram, de hacmet iactura grauitèr conquestus sum: & pene inconsolabilis videbar mihi ipsi, cum nulla prorsus effulgeret spes reperiundæ. Mox tandem, deplorata diu incassum, rediuiua resurgit, adspirante diuina gratia, & potissimùm vrgente solertia Lazari Augustini Cottæ I. C. qui defossa patriæ monimenta è labantium temporum ruderibus eruta luci reddere satagat pari sagacitate, ac industria, qua vllus quispiam hucusque nostratum scriptorum. Nec abs re, vt potissimùm inde tricas enodare liceat, quas vrget *Mabylon*, vnde suffulcra deducere opinetur commentum suum, & S. Martyrem nostrum per duas prope annorum centurias abstractum Mediolanensi Præsuli sistat, vt ex duobus tanto tempore interuallo dissectis vnum conflet Laurentium, licet bicorporem, vnico tamen homonymiæ magisterio, eundem ipsum esse contendat.

Ea ergo oratio de noctu habita est, & in foro, vt bene adnotarat & *Mabylon*: quod sanctus Doctor identidem perspectè enuntiat; In foro autem intelligas, idest in Palatio Ciuitatis, vbi forenses causæ actitantur passim, seu mauis dicas (vt egomet reor) in aula, quæ in Palatio prostat Decurionibus ad Consilia euocandis, vbi publici regiminis œconomia peragatur. Vt ipse Sanctus aliqualitèr dolet, se in loco profano penitus concionem habere; non tamen in platea publica, nam & ad luminaria vespertinus hic conuentus habitus est, quod & ipse S. Orator monet, cum plateam à foro distinguit dicens, *adspicio in foro, eo per plateas*. Pergit Scholiastes orationem expendere, vt inde schema suum aliquali collatione confirmet: *Mentionem facit quorundam aduersariorum suorum, quorum improbitate non solùm ipse vexatus fit, sed etiam alij partium ipsius fautores*. Hoc & Sanctus hic Apostolus apertè deprædicat: Non tamen satis aptè illico ad *Ennodium* se confert patientiam Mediolanensis Antitistis laudantem, vt ex eius Dictione narrationem audiat malorum, quæ ipsi ex aduersariorum factione semel, & iterum contigerunt. Non bene perpenderat prouidus adnotator, quod & coram ijsdemmet aduersarijs perorabat Sanctus Doctor, cum quibus congreditur, eos clam, & blando artificio insectando, vt nempe delicata velut manu vellicando expungeret ad salutem. Quemadmodum idem ipse liquidò testatus est in oratione, subiungens demum: *Quid expendo tem-*

pus in exprobratione malorum? Nec enim fas est insultare diutiùs inimicis, & filios dispicere sitientes. Dehinc velut inflicto salutari vulnere, manum solertèr contrahit, & prudentis chirurgi partes oppido agens solari aggreditur, & mellito propemodum eloquio blandiens spem ingerit vitæ. Videat certè qui nimiùm *Ennodij* encomiastæ verbis innititur, vt fallatur, & ijs ad labefactandam magis, quam concinnandam historiam suam abutitur. Nedum patientem, & mansuetum se præstat Laurentius noster in sua oratione, sed & impauidum omninò, quin & minantibus longè fidentiorem se præbet, timoris planè expertem, & periculis audentiorem, immo & hostibus insultantem, vt ipse proloquitur.

Plurima alia, quæ sibi suppetant colligit ex eodem laudatore *Ennodio*, sed perperam certè, nec omninò ad rem suam. Commemorat Sancti Præsulis extorris mala, qui *deinde cum Romam in Synodo accitus anno 502.* (verba recito *Mabylonis*) *pro absolutione Symachi Papæ aduersantium procellas sustinuit*: exinde profert quæ Italiā perturbauerant bellorum ingruentium terriculamenta per Odoacrem, *vt opinatur Sirmundus* (ait ipse) *quando Tufa aduersus Theodoricum Ostrogothorum Regem rebellauit.* Concludit expost, quod tandem è postliminio patriæ redditus rationem habuerit contexendæ homiliæ de Chananæa. Quæ omnia quam incongruè veniant tum ad Sanctum Oratorem, tum ipsius instituto, nemo non videt. Pergam igitur ex concione ipsa obtentum eruere, quæ potius Academica exercitatio, vel thesis, vt Rethores appellant, nuncupanda videtur, sed & Apostolo prorsus digna, vtpote cum melimelis Rethoricis, & *ore quasi mellito* (vt cum *Sigeberto* loquar) fructum, & salutem quaqua versus inferat, capta occasione dicendi. Summæ eruditionis, & Rethoricæ præsertim peritiæ ingens fama percrebuerat de Sancto Doctore, qui literarum, & scientiarum Academiam ad eruditionem iuuentutis Nouariæ instituerat. Is Apostolo duplex prouentus fuit; quod & in eius historia satis latè differuimus. Aliqui ex nobilioribus vrbis istius proceribus tanta suauitate allecti iam ipsi manum dederant, & fortasse Euangelio; adeo vt liberos quoque suos clarissimo huic Præceptori erudiendos traderent. Quod de B. Agabij genitoribus abundè liquet, qui, vt erant ex primarijs in vrbe Patritijs, ita filium hunc suum præclaræ indolis, & elatæ spei adolescentulum Laurentio educandum dederant. Hoc ipsum & de alijs facillimo negotio credendum venit. Per hos itaque, quos suos fecerat tanti Magistri admiratio, & non vulgaris æstimatio conciuibus deprædicata est eo vsque, vt qua officijs, & qua persuasionibus aliquale eius audiendi desiderium inuexerint. Qui peruicaces in Præconis Euangelici odio, & iugi

æmu-

æmulatione perstiterant, sane ad ipsum accedere dedignabantur. Idcirco in forum, idest in Palatium aduocatus est ad concionem: & hoc horis vespertinis huiuscemodi periucundo conuentui accomodatioribus; nam & aperto die fortasse pudebat audire ecclesiastem, cæteroquin profanis apprimè exosum.

Ea, quæ postmodum Mediolanenses incessit gloriatio pro Augustino suo Rethoricam illic docente in scholis Palatinis, fuerat & Nouariensium pro suo Laurentio. Imperatori Mediolanum aduentanti Rethorem suum plane percelebrem pomparicè ostentarunt, & ad orationem coram eodem Imperatore prouocarunt, vt ex eiusdemmet Sancti confessionibus clarè condiscimus: pariter & isti de hoc percelebri Ciuitatis ornamento non modicum sibi adblandiebantur. Euocatus itaque ad concionem in Palatio, vbi facilè omnes vna conuenere, quicunq; fuerint tum etiam aduersantes in hac promiscua Nobilium corona (arrepta opportunitate) ex Rethore Apostolum se profert intrepidum penitus, & fidentiori constantia de *temptationibus* (obsoletum vocabulum, quod neoterici respuunt, apud Rethores tamen illius temporis clariores vsitatum, & in summo pretio habitum pro orationis elegantia, & verborum delectu) quæ illi obuenerant ab aduersarijs suis, illos ipsos redarguit cuiuscunque timoris expers, insultans propemodum, vt ipsemet profitetur impauidè, Apostolico plane spiritu ductus. Dehinc melimela concinnat, & sibi semper constans in decursu concionis exculta oratione, & politiori stylo pœnitentiam ex suo instituto inculcat, & Rethorum flosculos æqua verborum proprietate, & artis dicendi consonantia conflatos periucundo artificio ad fructum deducit.

Ab exemplo exordium sumpserat argumenta delibans, quæ fuerant anteriorum Dictionum siue Pauli, siue Matthei de persecutoribus Euangelij ad Apostolatum euectorum schema præmittit, vt discant exinde ad Deum ex corde conuerti, quippe qui tales pro clementiæ diuinæ miraculo operatur apotheoses vnico pœnitentiæ magisterio. Et non sic de pœnitentia loquitur, *vt eam solis arbitrij humani viribus* (affectum eius etenim) *adscribere videatur,* prout infert *Mabylon,* sed vrget quidem, vt pœniteant, & conuertantur ad Medicum, qui *resecat morbum, & qui adest gemitibus, nutu imperans sanitatem,* vt is ait. Miraculum adducit creationis; & quomodo ex luto Deus fecerat hominem diuinæ artis ingenio imperscrutabili, eleganti parœmia insinuat, quod non despici profecto opus suum, cum redux eius manibus se committat: eo prorsus ingenio, quo (subdit) *ea ipsa, quæ fuerat in Ciuitate meretrix, ad eius pedes perfusa (accepta fiducia à lachrimis) accessit ad fontem Dominum Iesum.*

Ad Chananæam exinde admirabili concinnitate procedit, quæ est peculiare huius homiliæ thema: & quam aptè, & industriùs inde viam

sibi faciat ad execrandos Idolorum, & præcipuè Mausolæorum cultus, qui Nouariæ vigebant, miretur Lector. Exculta periphrasi gentilitios huiusce mulieris Syrophœnissæ errores amplificat, vt sensim auditores, & velut per anfractus suauitèr deductos propriæ insipientiæ inspectores sagaci reticentiæ mysterio blandè ad rescipiscentiam euocet. Propterea que illos ad accuratiorem dicti sui, & penitiorem sensus verborum inuestigationem prouocat, nam *in textura est tela*: quasi dicat, quod & altioris indaginis sermo sit, quam ausit enunciare, aut proferre videatur liberiori licentia: cum iam antea apertiùs dixisset ad conciliandam sibi, & dictis peculiarem attentionem *Hunc considerate sermonem, & ad verba mea dirigite intellectum, quoniam profundam volo comparationem exoluere*. Inter hæc, quæ delicatiùs innuit, magis quam dicat, & quasi per transennam vellicando delibat, aliquid certo certius plus intendit, quam quod apertè enunciat. Non credendus ideo loqui inconsultò, qui ad verborum penitiorem sensum accuratiùs ponderandum sollicitat, vt qui studiosè prorsus quæcunque ad vtilitatem audientium spectare posse arbitratus est, fidentèr proferre se iactat: idcirco prudẽtes viros ad arcana prouocat mystici sermonis, quæ rimari diligentiùs operæ pretium erit. Orantem Chananæam disertè examinans, orationis vim permultis exaggerat, & quidem bellè, & opportunè magis: eo potissimùm, vt opinor, obtentu, quo inuincibilis, & pene prodigiosæ firmitatis suæ mysterium audentiùs insinuet fucato apparatu. Inimicis suis affatim debacchantibus vltro insultare se nolle, professus iam fuerat: nec profectò vllibi locorum ampliùs eos apertè confundere aggressus est; sed non propterea, saltem lenitèr, & identidem saluberrimè illos expugnare desistit mira dexteritate, ac sermonis elegantia, velut delicata manu. Atrociora vitæ discrimina, quæ metum quoquo modo in constantem virum inuehere valeant, partibus enumerat; sed his omnibus longè maiorem se profert, cunctaque penitus vnico orationis adminiculo eluctare posse, fidentissimè protestatur.

Sed cum ita artem suam pene diuinam depromit, in propulsandis oppidò, & mira fælicitate tum contumeliarum morsibus, tum etiam vitæ periculis, adhuc pergit permantèr quidem, sed eo efficaciùs, quo suauiùs aliquo paradigmate illos perurgere non sine admirabili, & clandestino ornatissimæ artis opificio. Gothorũ (22) iam in Christo credentium, & Sydoniorum, nec non & Persarum religionem sonorè deprædicat: verum quo recondito penitus, & planè industri mysterio Rethorico, miretur lector. *Quocunq; ieris*, (ait vafer æquè, ac sacer buccinator) *audias Christum prædicantem: O mulier magna est fides tua*. Sed

quor-

22. Gothi an. 341. (*Baron. to 3. pag. 493.*) amplexati sunt Christi fidem, ideoq; per id temporis hæc Oratio videtur habita.

quorsum hæc intempestiua nimis barbaræ istius se gentis recordatio? Hoc pacto laudationem videtur præcinere Chananeæ: ast aliud certè ex transuerso simul contendit. Cum Gothorum Concilium, seu Persarum, & Sydoniorum conuentum compellat, tacitè inferre mauult, quod iam vbiq; gentium, & locorum Christi Euangelium publicè enunciabatur; vnde argumentum callidè subducat, quod si piè, ac obsequentèr vel ipsi effrænes populi Euangelio obtemperant, quid de cultiori, & perhumana dicendum natione, vbi adeo ingloriè & veritati obsistitur, & Christo? Hinc pudendam nimis, & prorsus indecoram Nobilium vecordiam, vel magis peruicaciam delicatè vellicat, coram quibus specialitèr accitus orationem habet. Et sic clam, surdoque, vt ita dicam, ictu, & à veternoso torpore nobili viro, ac ciuili prorsus incongruo auditores suos sensim succutiat, & simul pertinaciam confodiat: cæteroquin admodum inopportunè, & extra casum penitus videretur huc inuecta ea barbarorum, & efferæ gentis colluuies, si non ad hunc scopum collimarit dicentis intentio.

Claudit demum Concionem suam, seu Homiliam apertiori corollario ostendens, quo sensu dixerit, pœnes arbitrium hominis esse libertatem mouendi se ad gratiam, & salutem à Domino adipiscendam, cum eundemmet suis conceptis verbis inducat supplicanti respondentem: *Fiat tibi, sicut vis*; mox subdit peracutè obseruando, quod nec tangat leui manus diuinæ contactu energumenam filiam, nec curet exorcismo, quam nequidem visitatione dignatus est, sed in matris planè arbitrio curam liquit, & medicinam, *nam tua voluntate à passione purgetur*. Sic paraphrastice exponit Christi Oraculum: at non proinde arguit, quod à principio merè naturali gratiam sortita fuerit; absit omninò, imo gratiosè à Domino percepisse, liquidò euincit, sed quidem cooperante potissimùm fide, quæ certè partis nostræ est, cum sit actus ab humana voluntate imperatus. Quin & tantum opus peregit (vult ipse inferre) pœnitentiæ præcipuè, & orationis magisterio, quæ sane ex suapte natura dicuntur conuersio voluntatis humanæ ad Deum, ex qua enascitur in homine fiducia obtinendæ à Deo salutis. Et hæc in gratiam *Mabylonis* dicta sint, vnde clariùs ediscat demum, qua idea Protomagister, & Apostolus noster suas de Pœnitentia dissertationes contexere sategerit, quæ iugis erat studiorum contentio, vt scilicet Maiores nostros longè à veritate deuios lenitèr, & suaui conatu dignè Deo deduceret. Nec quæ contra eius opinionem supra deprompsi, intelligas velim, quod eruditissimo viro, & Diui Martyris nostri emerito laudatori succensere vllatenus audeam, quin & illi multum debemus pro reddita nobis ea, quæ nunc profertur iam diù exoptata Homilia: admonendus

 quippe

quippe fuerat, Laurentium noſtrum, quem ſummè laudat, & Mellifluum Doctorem cum *Sigiberto*, & alijs deprædicat, neutiquam Epiſcopum fuiſſe, nec multo minùs ad Archiepiſcopales infulas, qui anno 363. Apoſtolici muneris ſui gloriam martyrij laurea coronauit.

Hic obiter adnotandum venit pro coronide, quod in calce legimus eiuſdem ſermonis: quam videlicet verum ſit, quod fidelibus promiſcuè, & ſibi aduerſantibus orationem habuerit. Primores vrbis conuenerant in foro ad concionem veſpertinam hanc: fortaſſe & Conſtantij Imperatoris miniſtri aderant inuitati, qui nempe in hac Ciuitate eius partes agebant in Officijs conſtituti. Vt erat is Arianæ hæreſeos emeritus patronus, quin & propugnator acerrimus, eius quoq; ſubalternos eadem pice infectos imbi fuiſſe, credendum eſt; alios etenim huiuſcemodi labe pollutos nuſquam fuiſſe Nouariæ, ſatis latè alibi probauimus. Hos & Apoſtolo noſtro quaqua verſum aduerſantes, & vſq; ad mortem infenſos extitiſſe, nihil certius; His namq; artibus hæretici Principis gratiam, & honores, & dignitates aucupari fas erat, immo & neceſſitas. Illos itidem inceſſere audet Sanctus Orator, cum ait: *Si minor eſt Patre quomodo dicit, Fiat tibi, ſicut vis?* Hæc nimirum huiuſce farinæ gentium veſania fuit, vt Filium Dei minorem prorſus diuino Genitore impio auſu, & ore blaſphemo oblatrare auſerint eo vſq; concitati malo ſpiritu, vt propterea Chriſti Eccleſiam diris factionibus, & furentibus diſſidijs miſerrimè lancinarint, quin & tragædias excitarint, eaſq; horribiles nimium, in quibus & Sanctus noſter tantam egregiè patientis perſonam egerat. Verum enim vero mutila prorſus in hac parte mihi videtur Oratio, amanuenſium fortaſſis incuria, qui eam ab autographo deſumpſerant oſcitantèr (declamationem etenim in publicanos mutilam ſuppleuit *Cotta* ex *Franciſco Iureto*) ni ſcripturæ vetuſtæ, vel corroſæ labes aliqua excuſationem erroris faciat. Cæteroquin longè plura hic minatur, & ſpondet præclariſſimus Magiſter, quam proferat, & perficiat: ſic dato claſſico innuit, non tamen init certamen, & intentat magis emicando, quam congrediatur: nec ſenſus venit omninò integer Dictionis, intercisa periodo, ita vt multum hic deſiderari videatur ad complementum.

Pro

Homilia collecta ex pretioſiſſimis Analectis Mabylonianis

De: hananæi

A D. Laurentio Presb. & Mart. Oratore ſuauiſſimo habita, &

A P. Ioſeph Maria Balioto Capuccino Nouarienſi illuſtrata.

Ad Laz. Auguſtin. Cottam I. C de Muſeo Nouarienſi benemeritum

Epigramma.

Vt

Vt Syra nunc viuat *paruorum* more *Latrantum*,
Gallica sunt gustu digna *Analecta* suo.
Porrigit hæc *Mabylon* sano *Fragmenta* palato,
Laudatamq; beat Fœmina anhæla gulam.
Hoc minùs exoptat quas Sacra Nouaria Mensas,
Instruit, ac sanctæ prouidet ipsa fami.
Delicias illi solers condit *Baliotus* (23) opimas,
Vnde sapit miras nunc Chananæa dapes.
Cotta, tuus fecit dulcẽs *Laurentius* (24) escas,
Cuius ab Hyblæo defluit ore sapor.
Balsama sic melli tantus labor æmulus addit,
Ac saturat magnam culta virago fidem.
Eloquij manna pasci Phœnissa meretur,
Cum fuerit Summo grata *Catella* (25) Deo.

P.F. Dominicus Maria Bertochinus de Ameno
Ord. Prædicatorum Sac. Theolog. Professor.

Scripsit igitur S. Laurentius noster Homilias

I. *De Pœnitentia*, &

II. *De Eleemosyna* in to. 9. seu supplem. Bibl. VV. PP. pag. 1542. editionũ Parisiensium 1579 & 1618: 1644. to. 2: Coloniensis 1618. to. 6. Lugdunensis 1677. Nouariæ 1615. cum Nouar. Sacr. Caroli A Basilica Petri, quas breui commentariolo illustrauit *Bail* supra relatus, quasue frequentiùs *Picinellus* (26) delibat.

III. *De Muliere Chananæa*. Parisijs 1676. inter Analect. Mabylon. to. 2.

IV. *Expositiones ad Euangelia*, ac

V. *Nonnulla alia Opuscula*, quæ quammaximè confido, quod aliquando diuina clementia sit nobis reuelatura.

Cum P. D. *Ioseph Hieronymus Sementius* Cremonensis, Cler. Reg. Somaschensis, in Regali Academia Ticinesi Theologus in D. Laurentij Presb. & Mart. Homilia de Chananæa occultas nonnullas inuenerit Sententias alludentes ad mentem Sapientissimi, cuius interpretes omnes examinat, ac collocat in sua noua Rethorica, siue potiùs Theologica, & Philosophica Aencyclopedia omnium Scholarum vtilitati ordine clarissimo ab eodem excogitata, & iam digesta, ipsas in margine cum alia eruditione plurima eiusdem annotare voluimus pro maiori luce doctrinæ, ac eloquentiæ nostri disertissimi Apostoli Nouariensis, quem ipse

23. *In Bibl. Script. Capucinor. pag. 206.*
24 *Laurent. Mellifluus ex Sigeb.*
25. Illa dixit: *& catelli edunt de micis.* Matth. c. 15. n. 27.
26. *Mundo Symbolico.*

ipse *melleam*, & *aculeatam Salomonis apem* esse, mihi affirmauit ex Prouerb. cap. 6. post vers. 6. apud Septuag.

Chananæa Sapientissimi

Apud *Salazar.* in Prouerb. to. 1.

Apud *Octauianum de Tufo* in Ecclesiastic. to. 1. fer. 5. post Dominic, I. Quadrag. ex Indic. Concionum.

* Sic M.S.

Incipit liber primus *
Sancti LAVRENTII Presb. & Martyris
De muliere Chananæa.

* Sic in authographo.

MVlti quidem confligunt venti, sæuiuntque procellæ: Sed vestrum conuentum non dissoluit temptatio,*nec studium violauit. Non cessat Ecclesia, quæ semper pugnat, & semper triunphat; temptatur, & non superatur. In quantum pulsatur, & premitur, in tantum præualet, & augescit: circum sæuiunt vndæ, sed non mouetur lapis.

Oratio hæc habita noctu, in Aula Consilior.

Sermocinantibus nobis, somnus recessit à vobis; nox se transfudit in diem. O conuentus forensis! potest enim & hic esse conuentus Ecclesiæ. Fecit nox in foro Ecclesiam, & mentis nostræ strepitus armauit industriam: cessauit omnis pigritia, conquieuit ignauia. Quis hoc non voluat animo, aut quis non miretur, eo quod non solùm nostri permanserint nobiscum, sed etiam incogniti congregati venerunt, & proficit* temptatio in vtilitatis augmentum? Nam sicut pluuia descendens nutrit semina germinantia, sic* temptatio cum examinauerit, animam saluat. Verbum Domini est immobile, & portæ Inferni non præualebunt ad eum. Se ipsum vulnerat impugnator Ecclesiæ: plebem vero fidelem insigniorem ostendit. Vires conlidit proprias, qui æmulatur Ecclesiæ: nobis vero triumphi confert dignitatem. Iustus erat & antea Iob, sed iustior postmodum de agone emersit. Sanus validus factus est æger validior: clarus in opere factus est, in opinione præclarior. Numquam igitur in* temptatione formides. Si enim fueris in propria virtute fundatus, nunquam tibi oberit tribulatio, quæ patientiæ declarat virtutem. Sicut enim Fornax cum examinat, augmentum facit in specie auri, sic* temptatio addit animæ pulchritudinem. In quo enim noxia est flamma in specie auri? aut in quo humiliat *temptatio patientiam, quæ tollit tristitiam, & auget lætitiam, & facit animam hominis in examinata specie refulgere?

Tentatio instar pluuiæ, qua semina enutrita ingerminant.

Iob de Agone iustior emergit.

Sapient. c. 3. v. 6. Tribulatio, vt Fornax auro, Animæ pretium addit.

In-

Introduxit * temptationes, vt excludat aduersarios, qui me existimant inimicum. Congregati sunt maligni in vnum: sed quid illi in confusione, & quales nostri in compassione? vbi sunt illi? nunc apparent? adspicio in foro, eo per plateas; & nullum video. Frondes fuerunt, & ceciderunt à vento: Plumbum fuit, & liquefactum est; hi vero refulgent in specie auri. Quis eos, quàm criminosa eorum conscientia effugauit? Sciunt enim ipsi, quid fecerint. Nam & Cain cum cœperat proprium perimere fratrem, perpetrato scelere, timens, ac tremens super terram incessit. Sic & isti non manibus quidem, sed mente malignati sunt: & illi quidem operati sunt necem, Dominus autem condonauit salutem. Hæc enim locutus sum propter vos, vt exultet mens vestra in Domino, & numquam in temptationibus trepidet. Petra est immobilis. O homo, quid flatus vereris? *Super hanc*, inquit, *petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferorum non præualebunt ad eam.* Quandoquidem extranea, quandoquidem autem intestina sunt bella: sed nullus potest stabilitatem quassare structuræ. Quid autem expendo tempus in exprobratione malorum? nec enim fas est insultare diutiùs inimicis, filios dispicere sitientes.

Sapient. c. 4 v. 4. & 5.
Eccles. c. 21 v. 17
Aduersarij similes Frondi, & Plumbo.
Caini Pauor.
Sapient. c. 10. v. 3.
Iusti constantia in aduersis.
Matth. 16. 18.

Igitur hesterno nobis Paulus Apostolus adornauit conuiuiū, hodie autem Matthæus: hesterno coriarius, hodie publicanus: hesterno blasphemus, hodie raptor. Sed non in blasphemia permansit blasphemus, nec raptor in rapina permansit. Factus est enim Paulus verus Apostolus, & vtilis Doctor; factus est enim & Mattheus Euangelij prædicator. Memorabo priora peccata, vt posteriora merita enitescant: vt discas tu, quid sit conuerti de malo in bonum, ne aliquando desis in propria vita. Doctores igitur nostri priùs in criminibus sorduerunt, & inde conuersi in meritis sonuerunt. Quid blasphemus, & publicanus facti sunt? Quid est Publicanus? prædo sine pudore, medius exterminij, * nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? Nonne immanior est furibus publicanus? fur namque vel * timens furatur: hic autem confidentèr delinquit: * Fur laqueos legis timet, hic quid quid fecerit, legem putat: lex furem deterret ab illicitis: hic ad iniquum malitiæ suæ compendium legem trahit. Quis eo iniquior, qui verbis iustitiæ iustitiam damnat, & armis innocentiæ spoliat, vulnerat, occidit innocentes? lege vtique legem peruertit, & dum vrget ad legem, ex lex est. Sed hic publicanus repente Apostolus:

D. Paulus, & D. Matth. Oratori nostro argumentum præbent.
Vnus Coriarius, alter Publicanus.
Vterque Apostolus.
Ex peccatis relictis merita enitescunt.
Declamatio in Publicanos, quæ suppletur ex *Iureto* In Sym.
* alias.
* al. metuens.
* alias.

Matth 9.9.
Matthæi Conuersio.
Virtus Verbi Diuini.
Crucis Palma.
Iesus fecit militem de captiuo.
Conuertit Lutũ in Aurum.
Nobis malum à natura non est insitum: de arbitrio nostro gratia, libertasq; adquiritur.
Eccl. c. 10. v. 22. c. 11 v. 16. c. 15. v. 14.
Ecclef. c 7. v 30.
Deus criminis fastigia destruxit.
Deus animarum Medicus.
Vide Clement. Alexād. ad Gent. & in lib. 1. c. 2. Pædag.
Sapient. c. 9 v. 19.
Ecclef. cap. 17. v. 1.
Sap. c. 10 v. 2.
Deus figurauit Hominē ex Luto.
Artifex admirandus corporis humani.
Nostra aufert peccata.
Orator noster vrget, vt peccatores pœniteāt.
Magdalene exēplum.
Lacrymarum præsidium.
Matth. 15.

quomodo, aut quo tenore? *Transiens Dominus vidit eum sedentem in teloneo, dixitque illi: Sequere me & surgens secutus est eum.* O virtus sermonis! venit crucis palma, & fecit militem de captiuo, & lutum protinus conuertit in aurum. Venit crucis palma, & surgens publicanus secutus est Christum; de profundo mæroris gurgite super omne decoris fastigium sublimatur; Non est enim malum in membris vestris naturalitèr insitum: de arbitrio nos gratiam, libertatemque adquirimus. Publicanus enim factus est Euangelista, blasphemus factus est Doctor, latro Paradisum meruit, seductor factus est verissimus adorator. Non est quicquam in criminibus, quod non pœnitudine resoluatur. Et ideo Dominus ipsius criminis destruxit fastigia, vt nullus vitam suam etiam in sexta ætate desperet.

Ne dicas intra te: Peccaui, & quid faciam? habes imitabilem Medicum, qui resecat morbum, & sanat omnem languorem: habes Medicum, qui adest gemitibus, & nutu imperat sanitatem. Ex tanta te de improuiso materia finxit, & viuificauit, vt esses: nunc factum te, & nutritum poterit obliuisci? non erat antea homo, & Figurauit illum ex limo. Requiris forte qualitatem: nescio ego, ipse scit artem suam. Numquid non eras terra? Sed accepit partem terræ potens ille Opifex, & fecit priùs corpus tuum, in quo disposuit, & distinxit varia membra, manus, & pedes, caput etiam, in quo oculi, & aures, os, & odoratus, frons & genæ, & reliqua membra inferiùs. Ille ergo Artifex, qui sic te proprio finxit arbitrio, non potest tua auferre peccata? Noli sensus eius rimari, noli nodos examinare virtutis, noli quærere quomodo fecit, sed mirare de facto.

Sed dicis: Feci peccata multa, & magna. Et quis est de hominibus, qui non peccet? Tu dic: Erraui super omnes homines, sufficit in sacrificio ista confessio. Dic tu priùs inisquitates tuas, vt iustificeris; cognosce, quoniam peccator es: habe tristitiam, cum conuerteris: esto ac si desperatus, & mæstus: sed & lacrymas compunctus effunde: Numquid aliud aliquid fuit in meretrice, quàm lacrymarum effusio? & ex hac profusione inuenit præsidium, & accepta fiducia accessit ad fontem Dominum Iesum.

* Sed veniamus ad causam: quid ergo Euangelista? *Et inde transiens Iesus venit in partes Tyri, & Sydonis, & ecce mulier Chananæa.* Miram rem ait Euangelista. Ecce mulier caput peccati, arma Diaboli, expulsio Paradisi, doli mater, corruptio legis

antiquæ.

antiquæ. Ecce mulier veniebat ad Dominum Iesum, mulier alienigena de gentibus, nouella plantatio; mirum negotium: Chananęa sequitur, Iudæi fugiunt, domestici derelinquunt, alienigena hæret. Ecce mulier de finibus illis egressa clamabat dicens: *Miserere mei Domine, fili Dauid.* Mulier hæc Euangelista efficitur, probauit enim diuini consilij Sacramentum, quando & virtutem diuinam obsecrat, & carnis naturam confitetur dicens: *miserere mei, fili Dauid.* Considera pulchram mulieris mentem: vide quid dicit. Non est in actibus, inquit, meis, non mihi de conuersatione iustitia: ad misericordiam tuam confugio, vbi non residit, nec requiritur locus saluandi. Et quomodo ausa est mulier legis ignara, tam iniqua, sic abruptè accedere ad Fontem salutis? non petijt Iacobum, non rogauit Ioannem, non accessit ad Petrum: Sed hoc intermittens, quid dicit? Non est mihi necessarius fideiussor. Suscipit in se pœnitentiæ patrocinium, & sola currit, tenet eum in voce, ac dicit: *Miserere mei, Domine, fili Dauid.* Ideo descendisti, ideo carnem suscepisti, vt & ego loquar ad te, & cum fiducia petam. Cherubin adspectu eius tremunt in cœlo, & in terra, mulier non formidat. Angeli metuunt in excelsis, & mulier non veretur: instat importunè, & voce sua exaggerat, dicens: *Miserere mei, Domine, fili Dauid.* Non habeo opus sponsoris: per me accedo, per me obsecro, miserere mei. Quid tibi opus est? misericordiam quæro. Quid pateris? dolorem, quem non suffero. Quid habes? filia mea captiua tenetur. Quid illi est? malè à Dæmonio vexatur. Et quid nunc? *Miserere mei, Domine.* Pignus meum consumitur, & pars corporis violatur. Opinio, inquam, exijt de filia mea, noli me videre peccatricem, & miseram: tu es Deus, qui secreta consideras. *Filia mea malè vexatur.* Quid desideras? vt liberetur de plaga. Miserabilis luctus consumpsit vterum meum, & animam meam perturbat sæua tempestas. Quid faciam, nescio. Patitur misera, nec sentit tormenta, nec mortem scit timere, nec vitam sperare. *Miserere mei;* Iacet confusa, & causam tormenti ignorat. Me adspice, Domine, me exaudi, vide diurna vulnera mea. Illa patitur, & ego deficio: passio eius pauorem incutit cunctis, facta sum omnibus spectaculum. Quid faciam? aut quò vadam? non possum ab illa quoquam diuelli, non potest sola derelinqui. Non enim de foris venit, sed intus est expugnator, in se habet hostem, & gladium; nauis est, quæ de se concitat tempestatem, non inuenio nomen

* Ad Chananæã procedit Homilæ thema.
Matth. 15.
Eccl. c. 25. v. 33.
Mulier, caput peccati, Arma Diaboli.
Chananæa efficitur Euangelistas.
Eius fiducia.

Deus, Fons salutis. Ex Prouerb. c. 8. v. 35.

Chananæa Filię à Dæmonio vexatæ salutem flagitat.

 passio-

passionis eius. *Miserere mei, Domine, fili Dauid.* Vtinam defuncta fuisset filia mea, quam sic viueret; si enim mortua fuisset, & sepulta, exacto iam tempore oblita fuissem, nec meminissem vulneris, aut doloris. Nunc vero cadauer semper in domo est: causa mea, sepulcrum eius; augetur quotidie vulnus meum, & crescit opprobrium. Quomodo? video oculis meis, istorum adspectu, torqueri manus, crinium vittas exolui, ac spargi, spumas ex ore diffundi, dare mugitum horrendum, sæuire intus inuisibilem inimicum, improuisum hostem, & pugnam manifestam. *Miserere mei, Domine*, quoniam filia mea erat, & facta est Dæmonis esca. Non audeo illi proximare, non possum contingere, prohibet me pauor, expellit ipsa passio dira. *Miserere mei, Domine, fili Dauid.* Qui ex vobis patres fuerunt, adiuuent verba mea: quæ matres, lacryment vna mecum. Non sufficio exponere dolorem, quem mulier ista sustinuit. *Miserere mei, Domine, fili Dauid.* O prudentia feminæ! non vtitur hominibus deductoribus, non vtitur hominibus seductoribus, non secuta est vates fallaces, non quæsiuit inanes ligaturas, aut ad falsa confugit præsidia: Sed omnem relinquens Diaboli cultum, venit ad Dominum Iesum omnium Saluatorem, & dicit: *Miserere mei, Domine, filia mea malè vexatur.*

Dęmoniacę Icō. Linguelia in Cōcion. 8 post Dominic. 1 pag. 86

Chananeæ Prudentia.

Ad falsa non cōfugit Præsidia; ad ligaturas inanes, vt ait etiam Iansen. in concord. Euangel. pag. 379. Thom. in Caten. Aur. Lege Delrio Disq mag. lib. 3. v. 2. pag. 206.

Sap. c 9. v 4.

Deus Amator omnium non respondet Syrophenissæ.

Vidisti sensum mulieris probantis Sapientiam eius: sed vide aliud nouum, & inexpertum negotium. Petit, & obsecrat, & lamentum suum producit in clamorem; & amator omnium Deus non ei respondit verbum. Tacet fons vitæ, & pius medicus contulit medicinam, & abnegat curam. Quid est hoc, Domine? nescio, si non suscipis pulsantem mulierem. O Sapientia medici! *Dominus*, inquit, *non respondit ei verbum*. Quapropter, nisi vt detegeret sapientia eius virtutem? propterea dicunt Discipuli: *Dimitte illam, quia clamat post nos*. Sed humanus Deus vitam mulieris, virtutemque pulsabat. Et quid ait? *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierant, domus Israel*. Nihil proficiunt nec ipsi Apostoli suggerentes. Verus medicus differt magis curam, exulcerat vulnus, & potestatem suam arte quadam excusat, vt latentia panderet Sacramenta. *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oues, quæ perierant, domus Israel*.

Sapientia diuini Medici in abneganda cura, hoc silentio.

Virtus Fœminæ pulsatur.

Christus silentiū rumpit cum Apostolis.

Medicus verus differt curam, exulcerat vulnus.

Ars magna ipsius.

Responsum examinatur.

Hinc hunc considerate sermonē, & ad verba mea dirigite intellectum, quoniam profundam volo comparationem exoluere. *Non sum missus, nisi ad oues perditas Israel*. Quid est hoc verbum? quæ est ista excusatio tua? numquid ideo corporeus

Cur se tantùm liberatorē Israel dicat Iesus, Vniuersi Redēptor.

factus es, & multa in te mysteria reuelasti, vt vnum tantummodò angulum liberares, & integrum relinqueres orbem? Pontum, & Asiam, & Aegyptum, Ciliciam, & Cappadociam, & reliquas nationes relinqueres, & de Israel tantummodò curares? relinques terram desertam, nationes despectas, & solis Iudæis factus es liberator? Non vides iniurias patris tui in falsis simulacris, & in Dæmonum ceremonijs exerceri? An non hæc etiam Prophetæ vulgauerunt? Quid dicit adfinis tuus Dauid? *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quid Esaias, qui Seraphin oculis suis respexit? *Exsurget virga de radice Iesse, qui dominatur omnibus, & in eum fines terræ sperabunt.* Quid Iacob Patriarcha dicit? *Non deficiet Princeps ex Iuda, nec de senioribus eius dominator, donec veniat, cui destinatum est: & hic est expectatio gentium.* Quid etiam Zacharias Propheta? *Propter vos,* inquit, *claudentur portæ æreæ quoniam ab ortu Solis vsque ad occasum glorificabitur nomen Domini, in omni loco effundent libamina ante ipsum.* Dauid ipse quid iterum dicit? *Omnes gentes plaudite manibus, quoniam Deus excelsus terribilis, & Rex magnus super omnem terram.* Denique quando natus es in carne, quos vocasti? nonne Magos? Numquid Prophetas venisti vocare, qui ipsam salutem gentibus cecinerunt? Apostolos etiam cum mitteres, quid eis dixisti? *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et nunc quando misera hæc mulier acribus doloribus, & stimulis coarctata rogat te, & obsecrat pro filia sua, vt eam à funesta passione absoluas, modo dicis: *Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israel.* Venit ad te Centurio, rogans pro puero suo, & dixisti: *Ego veniens curabo eum.* Pendenti latroni Paradisum reserasti, Paralytico imperasti dicens *Surge, tolle lectum tuum & ambula.* Lazarus de monumento, te vocante, rediuiuus surrexit, varia quoque languorum genera Verbo sanasti; latrones liberasti; meretrices virginibus prætulisti: solam hanc miseram Chananæam respuisti deprecantem. Quid est hoc verbum miraculi inauditum? Nunc intendite, vt sciatis, quale compendium incipit reuelare. Quando liberatus Israel à plagis Aegyptiorum, & à Pharaone extractus transijt populus per desertum, præcepit ei Dominus in lege, vt non communicarent Chananæis, & non venirent cum eis, quoniam sine lege erant, idola immunda colentes. Præcipit ergo Deus in lege Iudæis, vt non Mercarentur cum eis, nec connubia

Psalm. 2.

Esai. 11.

Gen. 49.10.

Zach 1.10.& 11

Psalm. 46. 1.

Matth. 28 19.

Christus exaudiuit Centurionum, & Paralyticum.

Matth 8. 8.

Marc 2. 11.

Lazarum resuscitauit.

Verbo morbos sanauit.

Sap. 16 12.

Latrones liberauit.

Meretrices absoluit.

Deus præcepit Iudæis, ne communicarēt Chananæis.

De Idolatria huius populi Lorinus, alijq; Sapient. interpretes in cap. 12. v. 3.

De mercatura Chananæor. ex Prouerb. c. 31. & v. 24.

Adhuc in Textura est Tela. Adagium Rhetoric.

Nodus scripturæ præfatę solutus à D. Laurent. iuxta Hispanor. Concionator. artem.

Dominus sub Lege venit, vt adimpleret, non autem vt solueret Legem.

Ioan. 8. 46.

nubia in semine eorum miscerent, ne per hæc à suis legitimis priuarentur, & profanis idolorum cultibus iungerentur. Adspice, & considera, & intende quæ dico, quia adhuc *in textura est tela*. Mulier ista Chananæa erat de gente immunda, quibus non licebat communicare cum eis. Quid ergo? sub lege venerat Dominus, vt adimpleret, & non solueret legem. Igitur si ad momentum audisset mulierem, dicerent Iudæi: Ideo te non audimus, nec sequimur, quoniam soluis legem. Præcepit enim lex abstinere à Chananæis. Propter hoc tacet Dominus, propter hoc non respondit mulieri. Vide quomodo seruat legem, vt Iudæos confunderet, dicens: ***Quisnam vestrum me arguit de peccato?*** Ecce non respicio ad mulierem Chananæam; ecce clamat sine causa, ecce obsecrat, & non exauditur: ecce quomodo teneo legis formam, ne dicatis, quoniam præteriui legem. Ideo non credimus in te. Non ex me, sed ex vobis est error. Obmutescite itaque propter obseruantiam legis: ecce nationes ad me veniunt, ecce populus, quem non noui, mihi seruire festinat: nolite argumentosis occasionibus vti. Ecce à non cognoscentibus me cognitus sum, & à cognitis ignoratus: ecce alienigenæ obsecundant, & domestici sæuiunt. Hæc est itaque prima causa, quod distulit Dominus respondere mulieri.

Chananæa in clamore persistit.

Responsum mysticum Christi.

Panis Filiorum non mittendus Canibus. Adag. Tropologic.

Qui sint Filij. Qui sint Canes?

Epist.

Interea persistit in clamore mulier, dicens: *Adiuua me Domine*. Et ipse tantùm respondit: *Non licet tollere Panem Filiorum, & mittere Canibus*. O prudentia medici! multis difficultatibus suspendit mulierem, vt duplici postremo honore cumularet, dicens: *Non licet tollere Panem Filiorum, & mittere Canibus*. Qui sunt filij? quos vides: confundens eos hoc dicit, quia fuerunt filij, & facti sunt canes, de quibus Paulus dicit: *Videte canes, videte malos operarios, videte interfectores*. Nos autem, qui velut Canes eramus, de gentibus facti sumus Filij in eorum radice, quos ita exhortatur Paulus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*. Accusat ergo Iudæos, cum dicit: *Non licet tollere Panem Filiorum, & mittere Canibus*.

Chananæa Mulier violenta. Verecundiæ oblita.

De hac pia Impudentia D. August. serm. 23. to. 10. in Magdalena.

Sed quid respondit mulier? *Etiam, Domine potes, si volueris*. O mulier Violenta! Dominus dicit: *Non licet*. Et illa dicit: *Etiam, Domine, potes, si volueris*. Oblita est Verecundiæ, & intermisso pudore conatur vincere Dominum. Dominus dicit. *Non licet tollere Panem Filiorum, & mittere Canibus*. Et illa respondit: *Etiam, Domine, sum quod dicis*. Canem me vocas, canis sum; agnosco nomen meum, confundis me tu; sed

ego non recedo à te: Canis sum, sequar te, quasi Canis: porrige mihi aliquid. Non quæro Panem Filiorum: da mihi vel micas, quoniam & Catuli manducant de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. O certamen pietatis! ò prudentia Fœminæ! *Canem me dicis*, Domine: Sum ergo. Ergo nutri me velut Canem: non possum relinquere mensam domini mei. Canem me appellas; porrige micas. Dixisti causam meam, distulisti petitiones meas, manifestasti conditionem meam: adiuua me nunc, quoniam & *Catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. O mulier! accepisti subitò laudem, & inuenta es electis electior. Idcirco tacet Dominus, ideo distulit, & protraxit, vt mentem tuam perpenderet, & viuam de te produceret vocem. Si enim statim vt cœpisti petere, accepisses, recessisses, & nemo fidem tuam probasset, nullus mentis tuæ cognouisset arcanum. Nunc autem quia intellegis Dei virtutem, & sic te cognoscit, vt dicas: *Etiam Catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*; laudo te ego, & dico: *O mulier, magna est Fides tua, fiat tibi, sicut vis*.

Vt talis non vult recedere à Domino.

Certamen Pietatis inter ipsã, & ipsum.

Petit micas de Mensa, more Catulorum.

Laudatur eius(?) magna Fides.

Vide Chrysolog. serm. 100. de Chananæa.

Audiant hæc inertes, & improbi, qui dicunt: Orauimus, & non impetrauimus. Quid loqueris, homo? instanter ora, importunè obsecra. Siquidem pulsanti aperietur. Sed dicis: Deprecatus sum semel, iterum, & ter, & quater, & septies, & decies, & vicies: & non exaudiuit Deus. O stulta inuentio! & quid nunc, quia non es exauditus, iam recedis à Domino, & desistis à prece? aut non vides perseuerantiam mulieris Chananeæ, quomodo magis aporiata insistit; & repulsa importuniùs obsecrat; nec ante cessauit, quam quod quæsiuit, inuenit? Sunt multi quidem, qui intrant in Ecclesiam, & strepunt in oratione, confusè, atque intemperata voce dispergunt verba sua, & egressi foras obliti sunt omnia. Hi sunt, qui labijs hinniunt, & corde non concipiunt. Si tu ipse dicta tua, & preces ignoras, quomodo te exaudit Deus? Dicis: Inclinaui genua mea, & oraui. Genua tua inclinasti in terram: & mens tua foris per diuersa discurrit. Corpus quidem intus, sed cogitatio foris, lingua tua pecunias numerat, & vsuras. Diabolus malus, & inuidus inimicus, quando oramus, tunc magis incumbit, & obstrepit. Non nos pulsat, cum securi iacemus in lectulis: venimus ad orationem, & ille nos cogitationum stimulis turbat.

In illos, qui à Domino recedunt, quia subito eorũ preces non adimplentur.

Inuentio stulta.

Perseuerãtia Syrophœnissæ.

Varæ aliquorũ Preces in Ecclesijs.

Labijs hinniunt, & corde non concipiunt.

In Auaros.

Diabolus nobis obstrepit, quãdo oramus.

Huius versutias cogitantes reuertimur ad mulierem Chananæam, quæ sic obsecrat: *Miserere mei, Domine, fili Dauid, Filia mea*

Chananęa instat pro Filia Energumena.

mea male à Dæmonio vexatur, dic, & tu; Miserere, Domine, quia anima mea pulsatur à Dæmonio. Magnus Dæmon est peccatum animæ. Nam Dæmon extinguitur. peccatum vero stat, nisi satisfactionibus absoluatur. Grandis sermo est, Miserere mei, Deus; breuis quidem, sed virtute plenus. Nam etsi foris fueris, clama, & dic, Miserere mei, Deus: clama non voce, sed mente; nam & tacentes exaudit Deus, nec tam locus quæritur, quantum sensus. Hieremias in carcere confortatur: Daniel inter leones exultat: tres pueri in fornace tripudiant: Iob nudus sub die triunphat: paradisum de cruce latro inuenit. Quid ergo si fueris in publico foro? ora intra te: noli quærere locum: locus ipse es. Ibi vbi fueris, ora. Si fueris in balneo, ora, & ibi templum est. Si steteris ante iudicem, ora: insurgit iudex contra te, ora. Mare ante te est, & post te sequitur Pharao, ora. Nihil loquitur Moyses, & Dominus ei dixit: *Quid clamas ad me?* os eius tacet, & præcordia clamant. Et tu cum steteris ante iudicem furiosum, vbi sunt crudeles ministri, ora intra te, & turbines illi protinus resoluentur. Iudex contra te est: tu te ad Dominum confer: proximat te pœnis adfligere: tu ora intrepidus, & sedabitur insania; Nunquid homo est Deus, vt labore quæratur per loca diuersa? Deus est, qui adest vbique. Si quæris hominem, dicitur tibi: Non est hic, aut non illi vacat: Non est sic in causa Dei: hoc tantùm est, vt dicas, Miserere mei, Deus; & ipse prope est, vt te liberet, & adhuc loquente te, dicit, *Ecce adsum*.

Quisq; sic pro Anima sua obsecrare debet.
Magnus Dæmon est peccatum. Vide Linguel. vt supr pag 86.
Miserere mei Deus, sermo breuis, sed virtute plenus.
Clamandum nõ voce, sed mente
Deus & tacentes exaudit.
Nec tam Locus, quantum sensus quæritur.
Exempla ab Hieremia in carcere
A Daniele in Lacu.
A Pueris in Fornace.
A Iob. sub die.
A Latrone de Cruce.
Templum vbiq; oranti.
Moysis præcordia clamant cõtra Pharaonem. Exod. 14 15.
Deus vbiq;

Quid ergo Chananæa? *vtique, Domine, nam & catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. Et quid Deus? *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*. Vbi sunt disceptatores iniqui? Numquid dixit, Exspecta mulier, donec oro Patrem meum? sed quid dixit? *Fiat tibi sicut vis*. Quantùm elegantior illa in fide, tantùm Christus eminentior in virtute, qui gratiam suam sensibus eius infudit. *O mulier, magna est fides tua*. Quomodo magna? non vidisti mortuos resurgentes, non vidisti leprosos mundari, non cognouisti legem, non audisti Prophetas; sed audisti improperia, & meruisti repulsam; refutaui te, & non recessisti à me. *O mulier, magna est fides tua*.

Iesus Chananæã solatur.
Eius voluntati obtemperat.
Chananææ quãtum elegantior in Fide.
Tantum Christus eminentior in Virtute.

Mortua est mulier, & laus eius speciosa est plusquam margaritis intexta corona. Quocumque ieris, audies Christum prædicantem: *O mulier, magna est fides tua*. In Gothorum concilio, in Sydoniorum, vel Persarum conuentu clamat hodie Dominus

Ecclesi. cap. 15. v. 9.

minus

minus Iesus, & dicit: *O mulier, magna est fides tua*. Et quid deinde? *Fiat tibi sicut vis*. Non dixit: Sano filiam tuam, *sed Fiat tibi, sicut vis*. idest, tu ipsa sana filiam tuam; tibi eam trado; tu eam cura, in tuo arbitrio pono & medicinam: vade in pace, & pone super eam manus tuas, & fiat tibi sicut vis, cum tua voluntate à passione purgetur. Non iussit, non imperauit Dæmoni, vt exiret: *sed fiat tibi, sicut vis*. Voluit enim, vt ipsa mater sanaret Filiam suam, & Dæmonem effugaret. Vbi sunt, qui dicunt, non virtute, sed prece omnia impetrauit? Si minor est Patre, quomodo dicit: *Fiat tibi, sicut vis? Et sanata est filia eius ex illa hora?* Veniebat enim mater deforis, sed antequam veniret, sanata est. Intrauit, & inuenit filiam suam ab immundo Dæmone liberatam. Consumata est voluntas eius, & facta est sanitas: & pro eis omnibus gratias agamus Deo viuo, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Præmia quæ Fidei meruerunt robora tantæ. Ex Iuuenc. lib. 3. de Euang. Histor. Elogium 29. Iuglar. & Abb. Picinell pag. 147 de Fœmin. S. Scrip.

Christus vult ab ipsa matre sanari prolem.

Non est minor Patre Æterno. In Arianos.



PETRI APOLLONII COLLATINI

Præsbiteri Nouarienſis

Heroicum Carmen

DE DVELLO DAVIDIS, ET GOLIÆ,

Elegiæ,

Et Epigrammata

Nunc primò in lucem prodeunt

Studio, & cura Lazari Auguſtini Cottæ

de Ameno Nouarien. Diæc.

Sub Auſpicijs

Ill.mi, & Reu.mi D.D.

FEDERICI CACCIÆ

PATRITII NOVARIENSIS,

I. V. D. COLLEGII MEDIOLANI,

Abbatis Sancti Laurentij ad Putheum &c.

Ac Sac. Romanæ Rotæ Auditoris

Integerrimi.



MEDIOLANI Ex Calcographia Ghiſulphiana. 1692.

Superiorum permiſſu.

Exul Apollonius latebris, quibus hactenus hæsit,
Exilit, & patria sistit se luce videndum.

Ex Vander-- Burch.

PVra è Castalidum fonte fluenta his in carminibus excurrere agnoui: quare, vtcuicunq; nitidam Latinam Poesim sitienti ex illis bibere liceat, in publicam omnium potestatem eadem typographorum labore deriuare optimũ reor, Med. Nonis Iunij anno *1692.*

Ego D. Hieronymus Meazza Cler. Reg., Sacræ Theol. Professor, Cœnobij S. Antonij Mediolani Præpositus, pro Sanctissima Inquisitione Censor Librorum.

Imprimatur

Fr. Michael Seraphinus Angelerius Sacr. Theol. Magister, Doctor Collegiatus, & Commissarius S. Officij Mediolani.

Bartholomeus Crassus pro Eminentiss. D. D. Cardinali Vicecomite Archiep.

Franciscus Arbona pro Excell. Senatu.

Ill.mo, ac Reu.mo D. D.

FEDERICO CACCIÆ.

Lazarus Augustinus Cotta I. C.
S. P. D.

PEtri Apollonij Collatini Cattanei conciuis tui opusculũ de Duello Dauidis, & Goliæ mihi nunquam innotuisset, diutiùsq; (reor) priuati iuris fuisset, nisi primus omniũ (quod sciam) Ioannes Mabylon superioribus annis in suo Itinerario Italico inter præclariora literatũ monimenta patefecisset, ac nisi Andreas Pusterla Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectus, vir emunctæ naris, omnium bonarum artium, ac disciplinarum cultor acerrimus, priscorum nostratum Scriptorum ineditorum diligens inuestigator, ac mihi plurimùm recolendus, insigni quodam mirandæ comitatis lenocinio authographum exscribendum impetrasset ab erudito, & numquam satìs laudato viro Antonio Maliabeco Mediceæ Bibliothecæ Præfecto, ea accepta

lege, vt veluti argumentum à nemine Poetarum decantatum typis cusum euulgetur non modo pro Nouariensis, sed & Italici nominis dignitate. Cupiditatem videndi operis accendebat seueriorum virorum varijs studijs agitata, & non ingloria de Collatino censura. Vnicus verò Pusterla me Nouariensium Scriptorum collectorem diutino desiderio fatigatum, Nouariensem iuuentutem studijs humanioribus deditam, totamue fere (vt opinor) Remp. literariam valuit consolari. Insana quadam alacritate hanc poesim perlegi, suspexi, exscripsi, & typis impressam tibi inscribere censui, quippe qui vel Francisci aui tui Equitis, Poetæ, Oratoris, I. C. ac Consiliarij, vel Camilli proaui Iureconsultissimi ex Quęstoribus Magistratuum Mediolanensium, vel tot celebriũ virorum, qui è gente Caccia, & vel vniuersa Ciuitate Nouaria patria tua prodierunt, viuũ simulacrum refers, cum in te vno omnium bonarum disciplinarum, humaniorum literarum, Iurisprudentiæ, ac cuiusuis præclaræ artis studia, quibus ipsi singillatìm pollebant, certatìm cõfluant,

teq; vnicum Nouarienſium in Romana Curia decus honoribus,dignitate,atq;ſplendore cumulare contendant. Nec ſat tibi videbaris exhibuiſſe experimentum virtutis tuæ, ni etiam ab infulis, quas tibi deſignarat Maximus,Optimus ille Innoc. XI. tui (auſim dicere) neceſſarijſſimus, raro animi demiſſionis, & moderationis exemplo te ſubtraxiſſes. Maiora poſtulat, tibiq;parat virtus tua. Sublimiori thiara S. Zephyrinus, Alexander V. Innoc. IX. PP. MM. Nouariam eorum patriam illuſtrarunt. Ardicinorum (aui, & nepotis) adhuc effulget purpura: Hos virtus euexit. Verum ne præclaras animi tui dotes præclariora tibi pollicentes videar comminiſci, hoc vnum mihi polliceor, quod nempe munuſculum Poeticum veluti meæ erga te obſeruantiæ teſtimonium pro tua humanitate excipere,tueri non dedignaberis. Vale. Ex Oppido Ameno in Riparia S. Iulij Diæc. Nouarienſis VI. Id. Iunij MDCXCII.

Nonnulla
DE PETRO APOLLONIO COLLATINO

Lazarus Augustinus Cotta I.C.

Ex suo Museo Nouariensi MS.

PEtrus Apollonius Collatinus, cognomento Cattaneus, Præsbiter, natione Italus, patria Nouariensis in Insubribus, Patritijs ortus parentibus vixit sub finem sæculi Christiani quintodecimi. *Adrianus Vander - Burchius* Batauus, qui primus Collatini Poema notis illustrauit, in præfatione editionis Antuerpiensis anni 1586. incertum dicit, qua ætate floruerit. Et sane *Margarinus Bigneus* Gallus to. VIII. Biblioth. Veter. PP. *Collectores* Magnæ Biblioth. PP. to. XII. & cum eis *Ricciolus* Ital. tom. III. Chronolog. Refor. pag. 271. sub septimo, & vel octauo locant sæculo. Verum recentioribus Angeli Politiani temporibus adscribit *Gerardus Io. Vossius* Germanus de Historic. Latin. lib. III. pag. 811. & ad annum circiter 1490. refert *Gaspar Barthius* Germanus Aduersariar. lib. III. c. XXVII. Huiusmodi quæstionem *Philippus Brietius* Gallus Acutè dicta lib. V. pag. 63. exposuit, at indecisam reliquit. Igitur cum Poesim Fastorum,

&

& de Vrbis Hyerusalem euersione Collatinus eodem libello ad Cardinalem Ardicinum iuniorem de la Porta conciuem suum tunc Episcopum Aleriensem nuncupasset, satis constat de tempore, cum in comperto sit, Ardicinum anno 1475. ad insulam Aleriensem euectum, & anno 1493. ad Superos euolasse. Addas & Heroicum Carmen de singulari certamine Dauidis, & Goliæ ab authore dicatum Laurentio de Medicis, plura Poetica per ipsum missa ad Philippum Mediceum, quos sub id temporis vixisse constat. De rebus ipsius nil certi habeo, quod referam, cum & imo traditione circumferatur, se dimidium nominis, cognomenue sub Anagrammatismo (Apollonius Collatinus) abdere studuisse. Eum vel quam maximè laudant, vel appellitant, vel notant præter supra relatos.

Plotus Nouariensis in Ind. leg. si quando. V. Nouariæ plures alij.

Gesnerus Germanus in Biblioth.

Posseuinus Italus in Apparatu.

Isaacus Casaubonus Germanus in Vespes.

Pennottus Nouariensis Hist. Tripart. lib. III. c. LI. n. 12.

Scaligerus Italus Poetices lib. VI. pag. 307.

Hyppolitus Maraccius Ital. Biblioth. Mar. p. II. pag. 224.

Coccius Ital. Thesaur. Catholic. lib. III.

Ludouicus Iacob à S. Carolo Burgundus Bibl. Pontif. pag. 179.

179. 416.

Io. Philippus de Gaudiano (*quem de Nouaria vocitant*) Nouariensis Chronic. Canon. Ord. pag. 11. 15. 19. 25. ac alibi frequentiùs.

Leander Albertus Ital.

Aloysius Morerus Gallus Dict. Hist. to. I. pag. 294.

Iacobus Hoffmannus Germanus Lexic. to. II. lit. P.

Io. Mabylon Gallus Itinerar. Italic. pag. 194.

Hieronymus Meazza Italus & Poesi, & sacris literis æquè insignis, ac demum

Antonius Maltabecus Italus (vir clarissimus) in priuatis Epistolis familiaribus ad Andream Pusterlam Mediolanensem.

Scripsit præterea Collatinus, ediditq;

Fastorum Maiorum Libellum. Mediolani an. 1481. penes Oldericum Scinzenciller. Extat in Biblioth. Blanchiniana Mediolani.

Poema de Vrbis Hierusalem Euersione. Mediolani 1481. recusum Parisijs 1540. opera Io. Gagnæi: Iterum ibidem annis 1579. & 1589. in to. 8. Bignei: Antuerpiæ 1580. cum notis Vander -- Burchij.

Epigrammata plura in Chronic. Io. Philippi de Gaudiano.

Elegias, ac alia Poetica ad Philippum Mediceum Antistitem Pisarum.

Præstantissimo Viro D. Laurentio de Medicis Ciui Florentino Petrus Apollonius Nouariensis S.

SE conferre tibi, seseque ostendere gaudet
  Quisquis, Cosmide, grandia dona facit.
Nec summis opibus, nisi summus vt ipse probetur,
  Largiri tumidas sollicitatur opes.
Non idem fastus nobis, nec tanta facultas;
  Parua damus nulla conditione pares.
Nam quid diuitias Pactolo accrescere nitar?
  Aut aurum ripis accumulare Tagi?
Quidue mari Rubro gemmas immergere curem,
  Aut Arabum siluis cinnama pura dare?
Tota tibi pleno fudit se copia cornu,
  Famaq; fortunis est minor ipsa tuis.
Si tamen & fœlix eadem mihi Diua fuisset,
  Acciperes larga dona superba manu.
Sed præter carmen vati nil præbet Apollo,
  Dulceq; Pyerides nil nisi carmen habent.
Id solùm tenues possunt donare Poetæ,
  Hanc messem noster reddere nouit ager.
Ne tamen omninò videar te ignotus adire:
  Est nonnulla mihi gratia iuncta tuis.
Accepitq; meas Pisarum gloria Præsul,
  Atq; suas miti reddidit ore notas.
Nuper huic Elogos, Heroa & carmina misi
  Grata nimis, lector si modo vera tulit.
Quare age, florentis patriæ Clarissime Ciuis,
  Ne tanto spernas tu quoq; grata viro.

Exiguus liber est, magni sed fata Goliæ
  Pars habet, & tenui grandia voce sonat.
Altera pars miscet elegis epigrammata paucis,
  Flebilis in medio est scripta querela Iesu.
Tempus erit, fortasse tuas quo dicere laudes
  Ordiar, & patris, vel senioris aui,
Quorum fama viget nullos delenda per annos,
  Quamuis sub tumulis ossa sepulta latent.
Intereà paruum non dedignare libellum,
  Atq; hunc, si merui, quæso aliquando lege.

Petri Apollonij Nouariensis De Duello Dauidis, et Goliæ Heroicum Carmen incipit fælicitèr.

PRælia fatidici Dauidis, sæuiq; Goliæ,
Musa refer, nec prima time vestigia campi
Insoliti. Cœpisse opus est: spectaberis olim
Grandior, ante diem Parcæ nisi stamina rumpant,
Neu desit cœptis studijs dictator Apollo.
Plurima iam tristi prostrarat corpora letho,
Perq; dies in cæde magis furibunda Goliæ
Dextera fortis erat, populo nec Saulis vllæ
Profuerant vires: vnum pepulisse furorem
Non poterat numerosa manus, solusq; pauentes
Mille sub ignauis cogebat degere tectis.
Ergo omnes cessisse videns, timidosq; latere,
Elatus campo fertur, verbisq; superbis
Increpat attonitos hostes, ac talia iactat.
Non pudet, ò miseri, vallo, claustrisq; teneri,

Vnius terrente manu? quid statis inertes?
Aut vrbes nobis, tutosq; relinquite fines,
Aut valida pugnate manu: concedat Hebræus
Arua Philistæis, quæ non valet ense tueri.
Prodeat huc aliquis paria in certamina mecum:
Quid vero expecto solum? quin, exeat omnis
In me conuersis telis exercitus: vnum
Sufficiam cunctis magnorum stirpe Gigantum
Progenitus, cælo quondam qui pellere Diuos
Aggressi fecere Iouis discrimina regno,
Cum super ingentem statuissent Pelion Ossam.
Talia dicentem trepidæ cum Rege phalanges
Spectabant, nec ferre manum, nec reddere voces
Cuiquam animus: quippe illa omnes terrebat imago
Grandior, & senis cubitis erecta sub auras,
Et quales artus posses agnosse Gigantis.
Haud aliter clausæ stabulis clamore luporum
Exanimantur oues, rapido quos ore frementes
Moliri quacunq; aditus è parte tuentur:
Hæ trepidæ inter se coeunt, gemituq; queruntur.
Dum sic ille furens tumido sermone minatur,
Germanis alimenta suis in castra ferentem
Aduentasse fuit Dauidem, quem confitus annis
Iusserat, armento, genitor properare, relicto
Iesseus exiguæ Bethlem non incola vilis.
Huic septem natos fessæ solatia vitæ
Ediderat coniux. Martis tolerare labores
Primi tres, at cura gregis successerat illi;
Namq; pecus fuerat priscorum maximus olim
Census, & hinc habuit funesta pecunia nomen.
Hic vbi correptas tanta formidine mentes

Aſpexit, quæ cauſa, rogat, cupidusq; referri
Flagitat, atq; aliquam ſpondet fortaſſe ſalutem.
Audebat vix quiſq; loqui: tum deniq; narrant,
Oſtenduntq; virum: puduit tam vilia turbæ
Pectora magnanimum puerum ſpectaſſe, ſimulq;
Indignatus ait: Populi proh dedecus ingens
Iſrael! hæc virtus maiorum? hæc gloria belli?
En vnum fugitis multi, vos territat vnus
Imbelles ceu miluus aues: nec tendere contra
Audet, & hoc aliquis morti demittere monſtrum,
Seruaturq; mihi? per ego hunc metuenda Tonantis
Numina, ſi rabidos potui ſuperare leones,
Eripiam mundo: me me petit vltio tanta.
Dixerat, & cunctis nimiùm miranda loqutus
Viſus erat: fratres etiam reprendere dictum
Seu faceret liuor, ſiue illi fata timebant,
Degeneres quos ipſe vocat, promiſſaq; firmat.
Scinditur incertum vulgus: pars maxima laudans
Incendit verbis, capiendaq; præmia Regis
Commemorat: pars virtutem non credere tantam.
Saulis intereà volucris defertur ad aures
Fama, nouum veniſſe virum, qui fata Goliæ
Spondeat, & iunctis decernere comminùs armis.
Continuò iubet acciri (nam forte corona
Vallatus procerum, hoc mæſtus Rex ipſe petebat)
Quò iuſſus poſtquam intrauiſſet, poplite flexo
Concidit, & dicta ſimul, acceptaq; ſalute,
Rex, ait, ecce tuus, tanto ſi dignor honore,
Ille ego ſum ſeruus, per quem ruitura nefandi
Hoſtis, & hac dextra eſt habitura ſuperbia finem.
Riſit in aſpectu (neq; enim cognouerat illum,

Huic

Huic licet infernas quondam mollìuerat iras
Concordi resonante lyra) sic deinde profatur.
Feruidus ah nimium circa præcordia sanguis
Exultat tibi, dure puer, maioraq; suadet.
Viribus exsuperat corpus fiducia mentis.
Te ne satis magno credis superesse Goliæ,
Quem si nunc dextra teneat, iaculabitur altis
Montibus, & miserum corpus per frusta resoluet?
At nondum valida quantus consurgat in hasta
Expertus, quo se pugnando turbine verset.
Deniq; maturis ætas tua debilis annis,
Tu puer, ille vir est. Postquam sic pauca loqutus,
Reddidit ista Dauid. Nihil, ò Rex optime, nostram
Ætatem culpasse nocet: plus corpore grandi
Sæpiùs ingenium valuit, stratusq; pusillo
Dente ferox iacuit serpens resupinus in antro.
Ille ego namq; vrsos (puer vsq;) armenta petentes
Insectans prædamq; tuli, victosq; peremi:
Quin etiam tauros ausum tentare leonem
Insilui, ruptis violento faucibus vngue,
Corporibus donec anima indignata recessit,
Et seruata mihi monstrari tergora possent.
Qui me igitur tetrico potuit rapuisse leoni,
Hic quoq; fautor erit: præsens Deus ipse fauebit,
Ipse reget dextram, cassos nec proferet ictus.
Quid ferus ille diù diuina lege fruentem
Inconcisus aget populum? Genitrice pudenda
Natus, & ignarus nomen dixisse parentis?
Stat generi nostro tantum releuare pudorem.
Talia dicentem iam dudum Regia proles
Spectabat Ionathas, patris reuerentèr in ora

Abſtrahit, optatam dextræ coniungere dextram
Irruit incenſus tantæ virtutis amore.
At Regi poſtquam tandem conſtantia viſa eſt,
Obſtupuit, Dauidemq; manu complexus amica,
Si tibi tantus, ait, vigor ardet, ſpesq; triunphi,
I fælix, ducente Deo, rem profer in actum.
Quod ſi victor eris, per te ſi noſtra ſalutem
Caſtra ferent, humili nunquam de ſorte querere.
Eſt mihi præterea præſtanti corpore nata,
Quam tibi connubio iungam, ſtabilemq; dicabo;
Hæc ait, & famulis lætus iubet arma parari.
Haud ſegnes properant illi. Denſiſſima fertur,
Quæ corpus, lorica, tegat, quam tegmina circum
Aptantur: pulchrum munit caput aurea caſſis,
Deinc lateri inſignis capulo circundatur enſis.
Vt ſatis ex omni contectus parte refulſit,
Inſuetum pertentat onus: lædebat ineptos
Sarcina tanta humeros, nec præbent brachia vires,
Pes quoq; lentus erat. Vos hæc molimina, quæſo,
Demite, nec greſſus agiles offendite, clamat.
Sit modo funda leuis dextra, baculusq; ſiniſtra:
His ego tutus eam: dicens ſimul exuit omnem
Ornatum, puroq; legens in gurgite quinque,
Ipſe pera condit lapides, tunicasq; recingit.
Mittitur intereà forti qui bella Goliæ
Nunciet: ille ſuis vt adhuc conſederat armis,
Surgit, & immanem poſcit ſibi feruidus haſtam,
Præcipitemq; rapit verſus tentoria curſum.
Ceu leo, quem cupidum prædæ ſpes vana fefellit,
Quum redit ad montes, ſi forte auditus in agris
Mugitus tauri, rapido velociùs Euro

Currit,

Currit, & ancipiti scrutatur lumine vocem,
Aspecto nondum complentur sanguine fauces.
Quo moriture ruis? lux ista nouissima vitæ
Debetur, furibunde, tuæ, nudoq; recisa
Horrendus ceruice solo fine honore iacebis.
Quodquè magis pudeat, puer hæc certamina de te
Læta dabit campo nunc primùm visus in isto.
Nec virtute minùs fidens, comitante suorum
Agmine, Iessides, portas exire patentes
Festinabat ouans, incerto Rege relicto.
Cui comes ante omnes Ionathas fidissimus ibat,
Amplexusq; petens lacrymarum flumine multo
Talia verba dabat: Faueant ò Numina summi
Sic mihi sancta Iouis, te te vt prædonis iniqui
Cæde resultantem patris remeare penates
Aspiciam: certè nunquam tua dulcis imago
Pectore ab hoc cedet, & quantum vita manebit,
Auxilijs, studijsq; opibusq; iuuabere nostris,
Nulla dies istum veniens delebit amorem.
Ille cui: nec te, iuuenum mitissime, quicquam
Sollicitet timor: accipies, quæ vota petisti.
O semper venerande mihi, quo munere talem
Promerui? quodue officium, quæ gratia fecit?
His in se paritèr studio pietatis amicæ,
Aggere discedunt, notumq; feruntur in æquor.
Vt procul aspexit venientem turbidus hostem,
Et baculum læua, dextra fundamq; Golias,
Substitit indignans, permixtaq; incipit ira.
An mea diuersum traxerunt membra figuram,
Insectorq; canis lasciui fuste puelli?
Aut in auem vertor casurus ab arbore funda?

Lu-

Ludimur à populo, nondumq; timemur inermes.
Ah dabitis iustas, & tu puer improbe, pœnas
Alitibus damnande feris, morsuq; luporum.
Dixerat: at contra paucis Ieſſeius Heros
Ne ſæui dictis: iſtum tibi mortis honorem
Seruamus: nec parma teget, nec fortior haſta,
Nec galeæ robur; noſter Deus omnia vincit.
Dixit, & aduerſum gradienti prouidus altæ
Incuſſit fronti lapidem; paulumq; receſſit
Ille ictu primo minimùm turbatus, & ira
Plus ſatis exardens contra truculentior ibat
Multa minans, iam iamq; manu retinere putabat.
Protinus eductum funda ſtridente ſecundum
Ter circumuoluens ſumma vibrauit ab aure
Ieſſides: iterum media qui fronte receptus
Diſcuſſit galeam, vulnusq; inflixit apertum.
Tunc oculis denſæ ſubitò incubuere tenebræ,
Incertusq; viæ, quo quo tamen ira ferebat,
Tendit in hoſtilem faciem, ceu cuſpide ferri
Expectatus aper, mortemq; minatur acerbam.
Tollitur ad cælum clamor, Dauidemq; phalanges
Hortantur, firmantq; animum, ſonat arduus aer
Vocibus innumeris: At non exterritus heros
Paulatim ſe ſe recipit, tum robore toto
Innixus lateri partem ſpeculatus eandem
Impetit, & duplex vulnus confudit in vno.
Labitur infælix rupta ceruice Golias
Sanguineam quatiens moribundo corpore terram.
Clamorem ingeminant turbæ, cinguntq; iacentem
Circuitu longo, nec quiſquam proximus ire
Audet adhuc, nequeunt expleri corda tuendo.

Ille locum plagæ triplicis miratur, & ille
Terribiles oculos, aliusq; immania membra
Ostendit, grandesq; manus; hastamq; tremendam.
Qualiter occisum despectat rustica pubes
Circumfusa lupum pecori commune ferentem
Exitium, agricolisq; simul. Tacet ipse cruentos
Ostendens cælo dentes, setaq; rigenti,
Vnguibus & sæuis etiam metuendus inanis.
Cui Dauid insistens læuo pede talia fatur.
Occidis hic demum, proles generosa Gigantum:
I nunc, alitibus nostrum largire cadauer,
Si datur, en matrem toto complecteris ore.
I, Stygias etiam genitorem quære per vndas.
Hæc vbi dicta dedit, proprio mucrone recidit
Monstrosum caput, & corpus sine nomine linquens.
In reliquum vulgus tepido conuertitur ense,
Hortaturq; suos. Partem fuga tuta redemit,
Pars iacuit, moriensq; Duci comes iuit ad vmbras.
Ast illum magno redeuntem in mænia plausu
Rex generum firmat pactæ sponsalia natæ
Lætus agens, dignosq; viro celebrauit honores.

Iesu Crucifixi ad Iudeos querela.

Immemor ò soboles, operumq; ingrata bonorum,
Quæ mea culpa tuam potuit peruertere mentem?
Dic mihi, quid feci? meruı quo crimine tantos
In cruce suspensus membris perferre dolores?
Non ne ego sum, qui te rabida Pharaonis ab ira
Exemi? cuius paruo si tempore terras
Incoleres, iam non superesset forma virilis.
Num semper fulua te præcedente columna,

Per deserta tuli? numero quum nullus in illo
Sentiret minimum tanta de plebe malorum.
Tu me, crudelis, manibus post terga reuinctis,
Damnandum falsi traxisti in tecta Cayphæ.
En meritis condigna meis, en debita merces!
Ipse ego, dum fugeres hostem post terga sequentem,
Aequora diuiso feci tibi peruia Ponto;
Cum duce submersi, fuerant quicunq; sequuti:
Quadraginta super demisi manna per annos,
Deserto faciente famem: quemq; arida fauces
Immodico sub Sole tibi sitis vreret altis
Montibus, è rigida produxi caute liquorem.
Tu mihi, tu, mirram commisto felle dedisti.
En meritis condigna meis, en debita merces!
Quid non tentatum, gens ò vesana, reliqui?
Quid potui, quod non feci? nam cæsa flagellis
Aegyptus per me doluit: tu libera terras
Vbere fæcundas, & dulci lacte fluentes
Intrasti: quid enim tali pro munere reddis
Hostiles plagas, hostilia vulnera præter?
Te propter Reges potentes bella mouentes
Dura Chananeis imponens frena Tyrannis:
Hinc tua de cunctis populis victricia signa
Secura tandem Regni statione recepi.
Nec tantùm propriæ genti mandata dedisti,
Quin alias vrbes, atq; altera iura subegi,
Per mare, per terras latissima regna paraui.
Tu mihi ceruicem calamo, tu sentibus aspris,
Tu colaphis malas, signatiq; ora saliuis,
Tu me ad supplicium duræ crucis acta furore
Duxisti, sæua caput amplectente corona.
Tu manibus, pedibusq; mas immanis ab alto

Fi-

Fixisti clauos, ictu cogente, retortos.
Tu consuta meæ posuisti tegmina carnis
In sortem rapienda tribus. Sic æqua rependis?
En meritis condigna meis, en debita merces!
An satis hæc? mucrone latus, scelerata, petisti,
Hausistiq; meum: Hoc nati meruere redempti,
Quos tibi nascentes iugulabat dextra Canopi?
Nonne locis potui vastis te perdere eremi
Iniusto toties commotus murmure linguæ?
Quum toties bello, toties petereris & armis,
Quum aurea struxisti tauri simulacra nefandi,
Num potui media gladio diuellere terra
Funditus, ac plebi præponere Moysen alij?
Num simul ac certas fundasti robore terras,
Regibus innumeris potui dimittere captam?
Paucorum vetuere preces: seruata fuisti,
Impia gens: noscas, qui te seruarit in vndis,
Et saltem duros animi nunc flecte rigores,
Post ausum, factumq; nefas, depone furorem,
Et dominum cognosce tuum, tandemq; verere.
Non odi facinus: fuerat sic quando necesse.
Marmoreis quamquam minus es commota columnis,
Hactenus en ad me tamen huc secura venito,
In cruce porrectus moror en iterum, en ego fixas
Tendo manus, Iudea veni: quæcunq; recepi,
Dulcia sunt, ad me dum tu contrita reuertas.

Elegiacum carmen ad Calliepen, et Musas.

In varias animum verti quum deniq; partes,
Tu portus curis, Calliopea, meis,
Atq; aliæ fontis seruantes stagna sorores,
Quem de Parnasi vertice fudit equus.

Ad vos pulsus agor disiecta naufragus alno,
In vestros vultus, & mea damna queror.
Ah quoties vitæ dum me, cæliq; pigeret,
Et cuperem Stygij regna subire Iouis,
Tristem lenistis mentis dulcore furorem,
Qui nimiùm concors omnium ab ore fluit.
Quin & seclusum thalamo, quem sæpe petistis,
Dignatæ nostro ponere membra thoro.
Per vos hinc varij didici modulamina cantus,
Nunc humili plectro, nunc grauiore sonans,
Ergo si aduersos fortunæ vinco labores,
Vestræ opis hoc, vobis gratia semper erit.

Laus ruris, et agricultura.

Fœlix, qui patrio vitam traducit in agro,
Et sua qui proprijs excolit arua bobus.
Qui dura vrbis dimotus fastidia vitat,
Nec domini supplex limina dira colit,
Publica quem tangunt nec vlla negotia, nec res
Vnquam sollicito vix sine agenda metu.
Ergo hic aut lentas disponit in ordine vites,
Aut notat errantis pascua læta gregis,
Aut steriles ramos curuata falce recidit,
Aut plus fælices inserit, atq; locat.
Infirmas nunc tondet oues, nunc amne salubri
Mersat, & infusa corpora purgat aqua.
Sæpiùs antiqua iacuisse sub arbore gaudet,
Quam circum gramen, mollis & herba virent.
Proximus intereà riuus dilabitur vndæ,
Hic cubat ad murmur pretereuntis aquæ.
Exultant querulæ viridi de fronde volucres,
Quæq; suos siluis fundere docta modos.

Semper

Semper adeſt, quid agat. Si feruida venerit eſtas,
Falce cadit longis Solibus vſta ſeges:
Area mulctandis ſpatioſa paratur ariſtis,
Truduntur latebris grana repulſa ſuis.
Vere nouo vineta crepat: ſuſpenditur vlmis,
Conatuq; ſuo vitis in alta venit.
Pomifer Autumnus reduces parat inde labores:
Aut ſerit, aut ramis dulcia mala legit.
Quid pyra diuerſis numerem naſcentia formis?
Poma vel in ſpecies tam variata ſuas?
Tunc rudibus pedibus grauidos calcare racemos
Euenit, & ſtrictis condere vina cadis.
Caſtaneæ molles dura ſub crate latentes
Velluntur cauto pollice nocte cibus,
Quum iam bruma rigens horrendo turbida vultu
Longa magis ſolito tempora noctis agit;
Sed neq; tunc etiam ceſſet, ſemperue quieſcet,
Aut ſemper pigros dormiet ante focos.
In niuibus magnis lepores agitare fugaces
Gaudet, anhælantem poſtque citare canem.
Vel laqueos auibus tendit, vel retia ceruis,
Sæpe lupos pedicis, ſæpe retentat apros.
Tu quoque, cauta licet, nimiùmq; doloſa ferarum
Furta tamen, vulpis, caſſe retenta luis.
Quum verò leporem portat, captamq; volucrem,
Et repetit notas ſole ruente caſas,
Exultant natiq; rudes in limine plaudunt,
Hic auris leporis, ille retractat auem.
Ipſe ſedet, rudibusq; ſimul blanditur alumnis
Incerto referens verbula balba ſono.
Teſtilis intereà flammis alimenta miniſtrans
Decoquit allatos igne furente cibos.

Quid

Quid referam demum, quanta dulcedine cenent?
Quis non hic curas deposuisse queat?
O fortunatos igitur (sua si bona norint)
Agricolas, vero dixerat ore Maro.

Conditionis humanæ querela.

Omnia qui certo voluit succumbere fato
Corpora, nec cuiquam plusue, minusue fauet,
Idem tam varias voluit cur mittere pestes
Non euitatæ mortis in officium?
Cur mille inuitas animas rapuere dolores,
Et morimur sæuis terq; quaterq; malis?
Scilicet ex illo vani dixere Poetæ
Morborum pestes incaluisse graues,
Cum genus Yapiti cælesti lumine raptas
In limum sacras transtulit inde faces.
At nos ob primos patimur mala tanta parentes,
Et peccasse duos publica pæna fuit.
Ah nimiùm simplex, ne dicam, perfida mater,
Vel tu, quem decuit plus sapuisse, pater.
Et tu tantorum serpens inimice bonorum,
Vt merito, fraudis fers quoq; damna tuæ,
Qui priùs æthereas ibas erectus ad auras,
Nunc duram longo pectore verris humum.

Danae à Ioue decepta.

Inclusam turri quum te, pulcherrima Danae,
Acrisius tutam crederet esse pater,
Risit, & ad Venerem petulanti lumine versus
Iuppiter, hæc nobis eripietur? ait.
Hanc ego non aliquo fæcundam germine reddam,
Quis poterit murus? quis prohibere vigil?

Di-

Dixerat, & celsæ residens in culmine turris
Diuina micuit aureus arce globus.
Quem super incumbens radio famulatus Apollo
Paulatim cæpit soluere more niuis.
Protinus ad pluuiam virgo gauisa nitentem
Supposuit vestem, supposuitque manum,
Atq; vt deciderant, guttas redigebat in vnum,
Cogebat semet Iuppiter ipse volens.
Vt stetit in gremio, quantum defluxerat, aurum:
Hic alium, dixit, nunc decet esse Iouem.
Nec mora: candenti circundat brachia collo.
Aspecto primùm palluit illa Deo,
Mox vbi siderei rectorem agnouit Olympi,
Cætera non vllo murmure facta tulit.

Curius Romanus.

Munera Samnitum Curius fallacia ridens,
Exiguum qualis sederat ante focum,
Et manibus vilem stringens fortasse catinum,
Seu pultes illi, seu magis esset olus,
Tunc ait: ad Dominos, legati, verba referte,
Plus illos curæ, quam sua dona mihi,
Et nos diuitibus, quam censu malle potiri.
O rigidos mores, ò celebranda fides!

Epitaphium Scipionis.

Incola desertæ non æquo iure paludis
Quum prope fatales sensit adesse manus,
Noluit infernas tacitus descendere ad vmbras
Scipio, sed tumulo pauca legenda dedit.
Perfida, virtutisq; ingrata ò patria nostræ,
Ossa quidem ne quæ condere possis, habes.

Coriolanus Romanus.

Exorare sacræ quem non potuere thiaræ
  Instantem muris, Roma superba, tuis,
Vna semel potuit fælix conuincere mater,
  Et natum tumidis exonerare minis.
Vincor, ait, lacrymas nec possum ferre parentis,
  Largiar huic vtero mænia dira, licet.
Protinus ad Volscos equitem, bellumq; reduxit.
  Hæc nocuit pietas, Coriolane, tibi.

Plancius Romanus.

Plancius extremæ dilectæ coniugis horæ
  Impatiens voluit proxima fata sequi.
Ergo dolor primùm gladio per pectus adacto,
  Non potuit dextræ soluere vota trucis.
Namq; recens vulnus famularis turba ligauit,
  Inuitusq; redit in sua membra cruor.
Nil tamen effecit sociorum cura fidelis!
  Quis cupido mortem posse negare putet?
Vt subitò noti non conuenere, cruentas
  Vulneribus clausis intulit ille manus.

Annibal Poenus.

Pulsus vt è Latio vires ferus Annibal omnes
  Perdidit, in luxum Roma soluta ruit,
Anxia quæ meliùs præsente sub hoste fuisset,
  In se verterunt otia tuta manum.

Cæsar Brutus.

Vrbs habuit Bruto melius, nil Cæsare peius;
  Hic libertatem condidit, ille ruit.

Pom-

Pompei tumulus.

Niliacas vndas cymba quicunq; pererras,
Ad tumulum Magni, nauita, siste ratem.
Et dominum terræ quondam venerare potentem,
Nec pigeat, quamquam mobilis aura vocet.
Hic iacet in Pharia vix agnoscendus arena,
Sed tamen est saxo litera scripta breuis.
Hoc ne tuo dignum Magno, fortuna, sepulcrum?
Sic Latij fuerat excipiendus honor?
Obruitur bibula puluis malè tectus arena,
Seruat honoratum proditor arte caput.
Id quoq; cum trunco meliùs fluxisset in ignes,
Victori fieret quam noua pompa Duci.

De Antonio Medico imperito.

Hausit opes postquam patrias Antonius amens,
Et reliquum vidit nil superesse sibi.
Nescio qua subita Medicum se protulit arte:
Perdidit vt censum, perdere vult homines.

Ad eundem.

Miratur vulgus, quod te fatearis Aliptem,
Et facis exiguo tempore qui Medicum.
Quid mirum? factos, sic, est quoq; fama, poetas,
Largitur dotes vnus vtrasq; Deus.
Ennius ante rudis dum fertur monte bicolli,
Excitus assumpsit bella canenda sibi;
Euomuitq; haustum toto de pectore vatem,
(Cui nullum vidit Græcia docta parem)
Qui dedit agrorum duris præcepta colonis,
Dum sequitur tardos tardior ipse greges,

Incidit in sacras Heliconis numina Musas,
Quas inter medius pulcher Apollo fuit,
Demissoq; genu, vatis poscebat honorem.
Nec mora: quod petijt, turba verenda dedit.
Quis scit, an in somnis veniens tibi Delius artem
Fuderit, Antoni? quis neget, hocue probet?

Ad inuidum.

Obijcis obscurum semper mihi, liuide, nomen,
Inter nos quoties rixa pusilla venit.
Et vicisse putas, cum me de plebe, reurges,
Esse tuum prisca nobilitate genus.
Hanc facit inuidiam tibi quæ domus vna propinqua
Inuito cui te sors bona tota fauet.
Rumperis, & dum vis tristem difundere bylim,
Nil aliud nos quam rustica turba sumus.
Stemmata nil faciunt: sola est, atq; vnica virtus
Nobilitas: claros efficit illa viros.

Ad Prandum.

Si quis, Prande, manet sensus post funera nobis,
Et penetrat stygias fama relata domos,
Coniugis ipse tuæ videor sentire querelas,
Mistaq; cum lacrimis talia verba pijs.
Me miseram! nondum tenues fluxere capilli,
Aut cutis est capitis arida facta mei,
Ducitur in thalamos nostri noua nupta mariti:
O vbi nunc pudor es! ò vbi vera fides!

Ad Iouem petitio.

Magne pater Diuum, si non iniusta rogaris,
Annue poscenti, votaq; parua dato.

Non

Non ego diuitibus cupio comes ire superbis,
Aut cinctum multo ferre cliente latus:
Non auro, argentoue mihi placet aspera vestis,
Vel quæ de Tyrio murice tincta venit.
Atria non opto Graijs effulta columnis,
Extergant, famulas, quæ mihi sæpe manus.
Vrbanumue coquum, qui pulmentaria doctè
Componat, varias qui benè cedat aues.
Inter diuitias, paupertatemq; malignam
Posco locum: vitæ debita posco meæ.

De vasis fictilibus.

Cum possem lances argenti ponere mensis,
Fictilibus cenem cur sine laude, rogor.
Cenauit Curius, cenauit Apicius olim,
Cenauit primis Romulus ipse casis.
His Numa placauit cælestia numina vasis,
Men pudeant magnos quæ decuere Deos?
Fregerit vt seruus, credas, minùs illa dolebo,
Has quam si fugiens improbus abstulerit.

De pueris in vtero pugnantibus.

Anxia sollicitæ quatiuntur viscera matris,
Bellaq; conclusus miscet vterq; puer.
Nititur in lucem cuius maturior ætas,
Conanti magnis viribus alter obest.
Vtq; altis lentæ vites innectier vlmis,
Vtq; hederæ truncos implicuisse solent,
Sic femori sæuus fraterno frater inhæsit,
Vagitusq; pares editus ore dedit.
Obstupuit præsens, & se Lucina negauit,
Cui tulerit, primam dicere posse manum.

Illu. q. D. Marchionis M. F. Epitaph.

Clara Ducis soboles, & clari Principis vxor
  Elysabeth, risus, deliciæq; breues
Hic iacet: ah nullo statuas discrimine Parcas
  Hac pietas, saltem hac debuit esse pudor.
Tertia messis erat nondum tribus addita lustris,
  In thalamos postquam venerat illa viri,
Gaudia vix poterat cari sensisse mariti,
  Cæperat & primùm tunc caluisse thorus.
Si non est ferro pectus tibi durius ipso,
  Da lacrimas tumulo, qui legis ista suo.

Spectab. q. D. Catherinæ Epitaph.

Quantò frondosi graditur dum per iuga Cinthi,
  Prominet archifero cincta Diana choro,
Tantò præstabat Latijs Catherina maritis,
  Pulchrior & toto de grege nulla fuit.
Nunc decor eximius, nunc raræ gratia formæ,
  (Heu facinus!) tumulo clauditur ille nitor.
Quid confert species? perijt pulcherrima Dido,
  Et pro qua struxit Græcia mille rates.
Forma abit, æternos illi seruabit honores,
  Si qua fuit virtus, quæ numerosa fuit.

De Iuliano Curruca.

Omnia cum facilis credat Iulianus amicis,
  Hoc audire, semel credere non voluit,
Mæchari vxorem: donec deprensa per ipsum,
  Tum demum: nobis vera feruntur, ait.

Hac pæna coniux, hac est affectus adulter:
Vtatur mulier simplicitate viri.

Ad Paulam.

Postquam, Paula, tibi decies centena reliquit
Raptus de supero frater vterq; polo,
Quamuis terdenos ætas tua præterit annos,
Qui sibi te poscat, alter, & alter adest.
Tu ne inter iuuenes, an dos certamina quæso
Tanta facis? cuiuis cernere, Paula, licet.
Cerberus inferna fratres è sede remittat,
Per totidem stabis tempora virgo domi.

Turtur auis.

Ammisso consorte, decet, me viuere tristem,
Coniuge nec rapto gaudia habere licet.
Ergo ego nec viridi ramo defessa quiescam,
Solaq; per mæstas ibo, redibo vias.
Nec sumam nitidas puro de gurgite linfas,
Sordida sed nostram leuiet vnda sitim.
Disce fidem, coniux, à turture disce pudorem,
Cuius habet cineres fictilis vrna viri.

Rana.

Conqueror, & mergor limosa rana palude,
Latonæ pœnas has dedit ira mihi.
Nil sibi piscator tracto de corpore sumit
Præterquam surras, posteriusq; femur.
Cætera vel ripis miluo rapienda loquaci
Deserit, aut iterum donat habere lacu.

Cancer.

Si caudam demas, extremas si mihi chelas,
  Pars bona de reliquo corpore nulla meo est.
Excepto, nisi sint lapides in fronte cauati,
  Quos vesica timet, laxaq; fundit aquas.

Herba Senationum.

Fonte licet gelido mihi sit natalis origo,
  Quæ mouet vrinam, vis mea calda tamen.
Me quoq; discreuit sexu natura creatrix:
  Sum maior folijs fœmina, mas breuior.

Cepa.

Cepa mihi nomen græco sermone: quod vnum
  In me conficiant omnia membra caput.
Si fuerit molles verbis aditurus amicos,
  Stet procul, aut esu temperet ille meo.

Allia.

Allia messorum pastus sumus: edimus auras,
  Si quas venter habet, sin minus efficimus.

Porrum.

Non ego sum quouis iucundum tempore porrum,
  Sed postquam tegit cana pruina solum.
Mandito me crudum, vel si libet, obtege prunis,
  Qui quereris, pressam pectoris esse viam.

Rafani.

Possumus è stomacho duros expellere pastus,
  Dificilè, & lentè nos tamen egerimur.

Mala Parisiana.

Quæ non languenti medicus decocta negabit,
Optima de pomis parisiana sumus.
Si sapiet quisquam, fænicli semina nobis
Addiderit, tumidum flamine pectus habens.

Mala rubiginosa.

Quamuis sit turpi cortex ferrugine tectus,
Hoc tamen ammisso, dulcia mala sumus.

Mala Punica.

Si non soluisset nostris ieiunia granis
Persephone, stygia libera sorte foret.

Mala Rusiola.

Quem non ista queat spectantem forma mouere
Altera pars albens, altera suaue rubens?

Pomus nana.

Aspice quam multis oneretur plantula pomis,
Et caput è summa vix benè tollat humo.

Mala rabida.

Vlcera mulcemus prunæ supposta calenti;
Asperitas succi nomen iniqua dedit.

Pomus rancidula.

Quæ data Phæbeis, eadem mihi gloria, ramis:
Deque meo semper cespite poma virent.

Mala Cidonia.

Prima genas vestit nobis lanugo, nec vllo
Asperior posthac tempore barba venit.

Ficus.

Bis ego do fructum: primum fuge: carpe secundum,
Autumno comitem quem videt vua sibi.

Amigdala.

Perside Demophoon, durum pro Phylide truncum
Excipe, dum patria serus ab vrbe redis.

Castanea.

Qui viuit sterili pauper montanus in agro,
Pauperior, si me non habuisset, erat.

Persica.

Quæ fecit nomen, solùm nos Persida vitat:
Grata alijs, illic pernis acerba sumus.

Nux.

Flos quoties nostris ramis cumulatus inhæret,
Et superant fætus, area diues erit.

Facetum.

Deucalionei redierunt temporis imbres:
Vno mista vado stercora cuncta natant.

FINIS.

0052650 98

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967